

Zu Königlichem
Leipzigens. Bibliothek
gehörig.

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Summa vera & orthodoxa doctrina de fide justificante:
cujus capita generalia sunt duo:

I. Complectitur quæstiones theóreticas
decem:

1. *An fides vera sit notitia?*
2. *An eadem sit assensus in rem planè ignotam?*
3. *An, respectu notitiæ & assensus, objectum ejus sit verbum scriptum,*
& non scriptum sive traditiones?
4. *An sit fiducia singularis?*
5. *An fides, quæ ex his tribus constat, sit monstrum?*
6. *Causa ejus efficiens procreans quæ?*
7. *Causa ejusdem conservans quænam?*
8. *Subiectum, soline electi?*
9. *Reprobatorum temporariorum fides an vera?*
10. *Objectum fidei justificantis quodnam sit?*

II. Continet quæstiones practicas tres:

1. *An quisq; capitum doctrina Christiana gnarus, seipsum exploran-*
do cognoscere & scire possit, num habeat fidem justificantem?
2. *Quibus medijs: num semper ex solis internis motibus Spiritus*
Sancti, an etiam ex verbo & sacramentis?
3. *Utrum fides vera possit amitti?*

Ad publicam disputationem anniversariam proposita,

PRÆSIDE

PAULO TARNOVIO,

D. & Professore S S. theologiæ,

RESPONDENTE

JOHANNÉ DINGGRAVIO

Wismariensi,

In auditorio majori, horis antemeridianis,

Ad diem 21. Junij.

ROSTOCHI

Excusa literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIII.





DE fide, sive ipsam in se, sive varias
de ea hominum opiniones & sententias, sive
Diaboli adversus eam machinationes specte-
mus, omnino necessarium videtur, ut semper
soliciti simus, & tam in veritatem doctrina de
ea per scripturas revelata, quam in falsitatem ei undiquaque
oppositam inquiramus, & ipsam veram in nobis accensam ala-
mus, atque ab omnibus, quae eam corrumpere possint, studiosè no-
bis caveamus. Fides enim veritatis est, per quam elegit nos
Deus ad salutem, 2. Thessal. 2. v. 13: fide purificantur corda
nostra, Actor. 15. v. 9: per fidem Jesu Christi justitia Dei ve-
nit in omnes, & super omnes, qui credunt, Roman. 3. v. 22:
per fidem Christus habitat in cordibus nostris, Ephes. 3. v. 17:
fides est victoria nostra, vincens mundum, 1. Joh. 5. v. 4. per
fidem uti sumus filij Dei, Gal. 3. v. 26. ita accipimus heredita-
tem inter eos, qui sanctificati sunt, nempe vitam aeternam,
Actor. 26. v. 18. Joh. 3. v. 16. Rom. 8. v. 17. Quae autem
sit vera fides, non eadem est omnium doctorum indoctorumque
sententia: quod ex diversitate institutorum apparet, dum illo-
rum, qui docendo fidem ejusque fructus urgere debebant, non
pauci ad quaestiones & verborum pugnas, aliasque perversas
exercitationes declinant, 1. Timoth. 6. v. 4. 5. quique inter hos
excellere student, ὅσοι βῆς εἰσὶν ἐξ ἐνὸς μόνου, τὸ κερταγινώσκειν
ἀπὸ ἡλῶν ἀσέβειαν, ut scribit Nazianz. pag. 27. ἀπολογητικῶς:
horum verò, qui auscultando discendoque operam dant, non
minima pars in bruto assensu & externo Dei cultu eam & Chri-
stianismum positum falsò autumat. Hæreticorum denique, per
A 2 quos,

quos, uti & per tyrannos, pater ille mendacij & homicida ab initio, oppugnat turbatq; ecclesiam, contra sanam de fide doctrinam, ipsamq; in nobis fidem, varios dolos & infinitas technas omnium seculorum historia & quotidiana experientia demonstrat. His itaq; & aliis de causis cum peropus sit sana doctrina de fide capita sepius repetere & examinare, σὺν ὧν ἐν τῷ ἐπιπέδῳ hoc tempore ad συζήτησιν placidam proponere est animus: cujus capita generalia erunt duo: I. τὰ θεωρητικὰ continebit problemata decem: 1. Sitne fides notitia? 2. an assensus in rem planè ignotam? 3. an notitia assensusq; objectum sit verbum τὰ ἀγαθόν quàm ἔγγραφον? 4. An sit fiducia singularis? 5. An fides ex commemoratis tribus constans sit monstrum? 6. Causa fidei efficiens procreans quæ? 7. Causa ejusdem conservans quanam sit? 8. Subjectum, soline electi? 9. Reproborum temporariorum fides an vera? 10. Objectum quodnam sit fidei justificantis. II. τὰ πρακτικὰ tria: 1. An quilibet, capitulum doctrinae Christianae gnarus, seipsum explorando cognoscere & scire possit, num habeat fidem? 2. Quibus medijs: an semper solis internis motibus Spiritus Sancti, an etiam verbo & sacramentis? 3. An fides vera possit amitti?

I. CAPUT

Continens θεωρητικὰ θεωρητικὰ decem.

THESIS I.

DE fidei natura & definitione quæ in controversiam veniunt, brevissime comprehensuri, distinctionem vocis ambigua non operose persequemur, cum constet, nobis propositum esse agere de fide, qua creditur, non qua creditur, ut Augustinus loquitur lib. 13. de Trinitate, cap. 2. h. e. de fide hominis peccatoris, à Deo salutem petentis, non de doctrina

doctrina fidei: ipsam tamen ejus descriptionem, in qua universa comprehenduntur, quæ hodie in disputationem trabuntur, hic inserere non præter rem videtur.

2. Ea de multis, quæ passim exstant, sit hæc notissima: Fides (justificans) non est historica tantum verbi divini notitia, vel simplex aut generalis assensus: sed in Christum certa & singularis fiducia, quæ in cordibus nostris gratiæ promissionibus per Christum accenditur, ipsdem alitur, atq; per Spiritum S. & verum sacramentorum usum confirmatur & obsignatur, ad vitam æternam.

3. Hisce præmissis, ad controversa veniamus: inter quæ sit hæc I. Quæst. An fides salvifica sit notitia? Resp. nos affirmamus, ut constat ex definitione posita: negant Pontificij, quod patet ex Bellarm. lib. 1. de justificat. cap. 7. & patebit idem ex sequenti questione.

4. Argumenta nostræ sententiæ ponemus scripturam & rationem in scriptura fundatam. Ex priori ita concludimus: Fides in scriptura appellari consuevit notitia atq; scientia, Esaiæ 53. v. 11. Luca 1. v. 77. Job. 17. v. 3: 2. Cor. 5. v. 1: 1. Johan. 3. v. 2. E. fides est notitia.

5. Ex posteriori sit hæc collectio: Quorum operatio est eadem, eorum essentia est eadem. Notitiæ in doctrina de justificatione secundum scripturam eadem est operatio, Jesaiæ 53. v. 11. quæ est fidei, Roman. 3. v. 42. E. essentia utriusq; est eadem.

6. Argumenta, quæ in contrarium adduci solent ex scriptura, antiquitate, & ratione, videri possunt apud Bellarminum loco allegato & apud alios, nos ad alia progredimur. II. Quæst. huc pertinens est: An assensus veræ & salvificæ fidei tam possit esse rei planè ignoræ quàm notæ? Resp. affirmativa est Pontificiorum, duplicem fidem salvificam statuentium, explicitam & implicitam: vide Bellarm. lib. 1. de justif. cap. 7. & Calvini lib. 3. institutionum, cap. 2. S. 2: negativa nostra.

7. Fundamenta nostræ sententiæ ex præcedenti questione cum satis sint evidentia, plura hic addere supersedemus.

8. Sequitur igitur III. Quæst. An assensus veræ & salvificæ fidei habeat pro objecto suo adæquato tam verbum Dei non scriptum, quàm scriptum? Resp. affirmant Pontificij: vide Bellarm. lib. 4. de verbo Dei, cap. 2. & seqq. nos negamus.

9. Fundamentum nostræ sententiæ unicum est scriptura, quæ ex verbo prædicato fidem esse affirmat, Roman. 10. v. 17. scriptum verbum ad fidem sufficere asserit, Job. 20. v. 30. 31. 2. Timoth. 3. v. 16. additionem omnem ad verbum vetat, Deuteron. 4. v. 2. cap. 12. v. 32. Galat. 1. v. 8. Apocal. 22. v. 16. traditiones damnat, Esaiæ 29. v. 13. Matt. 15. v. 9. Gal. 1. v. 14. Coloss. 2. v. 8.

10. Plura huc ad probationem non esse necessaria putamus: sit proinde IV. Quæst. An fides justificans sit fiducia? & quidem singularis & cuiusq; salvandi propria? Resp. nos affirmamus: pontificij negant, vide Bell. lib. 1. de justif. cap. 6.

11. Argumenta nostra duorum sunt generum: alijs enim probatur, fidem justificantem esse fiduciam, alijs fiduciam hanc esse singularem, & cuiusq; propriam, applicantem sibi universales promissiones gratiæ, in easq; se includentem.

12. Prioris generis afferemus primùm testimonia scripturæ, quibus deinde rationes adjungemus. Testimonia scripturæ, fidei salvifica fiduciam tribuentia, sunt hæc: Matth. 9. v. 2. Confide fili: (ἰαροῦσαί τῶν σου) remittuntur tibi peccata tua. Job 6. v. ult. Confidite, (ἰαροῦσαί τε) quia ego vici mundum. Roman. 4. v. 20. 21. Ad promissionem Dei non dubitavit incredulitate, sed corroboratus fuit fide, tributa gloria Deo, ac plenè persuasum habens (πληροφροῦν θεῷ) eum, qui promiserat, posse etiam efficere. Heb. 4. v. 16. Accedamus igitur cum fiducia (μετὰ πίστιος), quod Syrus paraphrastes vertit כנלן עין, h. e. in refectione oculi: quæ est πειθοῦς fiducia) ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam, & inveniamus gratiam, ad oportunum auxilium. ibid. cap. 10. v. 22. Accedamus cum vero corde per certioratam fidem (ἐν πληροφροῦν ἡμῶν) aspersione purgatis cordibus à conscientia mala. 1. Johan. 5. v. 14. Et hæc est fiducia, quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus, secundum voluntatem ejus, nos audire.

13. Rationes, ex scriptura deductæ, sint hæc: Prima: Si credere est fidere, fides est fiducia. At prius. E. & posterius. Propositionis consequentia nititur logicorum canone: Quod tribuitur uni conjugatorum, etiam alteri tribuitur. Assumptio probatur ex eo, quod fidere & credere nunc in scriptura diversis locis permutantur, nunc ἐξήγηται
καὶ

ἄνω, uno in loco ponuntur. Illius classis sunt hæc: Psal. 31. v. 1. In Deo confido, non confundar: Rom. 10. v. 11. Qui credit, non confundetur. Qui crediderit, salvus erit. Hujus ordinis sunt ista: Psal. 78. v. 21. Quia non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salute ejus. Micheæ 7. v. 5. Ne credatis in socium, neq; confidatis in principem.

14. Secunda: Qualia sunt nomina, talis est res ipsis nominibus denotata. At nomina fidem justificantem exprimentia, in sacris literis, sunt talia, quæ fiduciam denotant: qualia sunt πίστις, πεπίθησις, πίστις, παρρησία, σερέωσις, ἀληθεύωσις, προσαγωγή ἐν πίθησει τῆς πίστεως. E. ipsa fides est fiducia.

15. Tertia: Cui propria rei conveniunt, ei res ipsa quoq; convenit. At fidei justificanti conveniunt propria fiducia, quæ Roman. 4. v. 18. 19. 20. 21. recensentur, nempe credere in spem contra spem, non infirmari & deficere animo ex consideratione eorum, quæ videntur contraria promissioni divine, non hesitare diffidentia, plenè certioratum & persuasum esse de potentia Dei. E. res ipsa quoq; eidem convenit, nempe fiducia.

16. Posterioris generis producemus primò generalem scripturæ sententiam, Habacuc 2. vers. 4. Justus ex fide sua vivet, repetitam Rom. 1. v. 17. Galat. 3. v. 11. Hebr. 10. v. 38: cui illustranda confirmandaq; adjungemus verba emphatica, quibus scriptura in hac singulari & fiduciali apprehensione utitur, qualia sunt λαβεῖν, καταλαβεῖν, παραλαβεῖν, Joban. 1. v. 5. 11. 12. cap. 17. v. 8. Roman. 8. v. 9. & 30.

17. Deinde exempla piorum in scriptura: quale est Pauli, Galat. 2. v. 20: Philipp. 3. v. 10. 11: 2. Timoth. 4. v. 7. qui suæ fidei fiduciam specie communem omnibus verè credentibus esse indicat, Roman. 8. vers. 35. & 38.

18. Deniq; praxin communem omnium fidelium, suæ fidei symbolum quotidie recitantium, & hac ipsa recitatione singularem suam fiduciam testantium, dum dicunt, Credo in Deum, patrem, filium, & Spiritum Sanctum: credo remissionem peccatorum, resurrectionem mortuorum, & vitam aternam: item sacramentorum finem & usum, qui est, ut sint sigilla justitiæ fidei in singulis, quibus conferuntur, Roman. 4. v. 11: 1, Petri 3. v. 21.

19. Hæc de singulis tribus, quæ fidei tribuuntur à nobis, secundum scripturam: nunc de illis conjunctis incidit dubitatio, quæ sit in nostro

V. Quest.

V. *Quest.* An fides, si collocetur, non in uno aliquo certo subiecto, sed in diversis simul, mente scilicet & voluntate, sit monstrum & chimæra? *Resp.* Affirmant Pontificij, & inter eos præcipue Albertus Pighius, referente D. Chemnitio in prima parte examinis Trident. concilij pag. 163. b. & in L. C. parte 2. pag. 684. nos negamus.

20. Argumentum adversarij, quod utroq; in loco refert D. Chemn. est tale: Quæ subiectis differunt, realiter differunt, & proinde, quia non sunt unū, si quis ea in unum compingat, ex diversis speciebus unam faciet, quod monstro isti simile est, de quo versus Homericus ex *ιλιάδ.* 3. circumfertur: *πῶς δὲ λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.* Sed hoc opinionis monstrum non esse, quale fingitur, argumento imaginis Dei in homine, liberi arbitrij, & aliorum, quæ partim sunt in mente, & voluntate, ostendi potest: & licet hæc afferri non possent, tamen, cum scriptura, ut ante vidimus, & notitiam, & assensum, & fiduciam tribuat fidei, quando ejus naturam nobis describit, merito eam præeuntem in simplicitate sequimur: certi, quod, qui simpliciter ambulat, tutò ambulet.

21. Cetera, quæ huic problemati annexa esse solent, in quibus, disceptatur, quomodo hæc tria fidei à nobis tribuantur, quia *τεχνολογίας* redolent, non *θεολογίας*, præcidimus, & ad alia descendimus. Sit itaq; VI. *Quest.* de causa efficiente fidei in nobis: An omnes homines, quibus annunciatur Christus, possint credere communibus naturæ viribus, sine singulari Dei gratia & dono? *Resp.* 1. prius affirmant Photiniani: vide Socinum lib. 4. de Servatore, cap. 12. Ostrodum institutionibus cap. 1. S. 5. & seqq: nos posterius.

22. Subiectum est omnes homines, intellige, sanæ mentis. nam de sanitate mentis dejectos hinc excludi, ex predicato quodammodo patet: quod loquitur de naturæ viribus, prout illis homines uti possunt: hoc autem solis ijs, qui sunt sana mente, datum est.

23. Determinatio subiecti est, ex annuntiatione Christi, sive ex communicatione sacræ scripturæ: qua ratione excluduntur à subiecto ij homines, qui quidem rationis usum habent, sed verbo Dei destituuntur.

24. Prædicatum est, posse credere: fides autem licet aliter à Photinianis quam nobis definiatur, id tamen ad præsens institutum non adeo

adeo multum facere putamus, cum tam fiducia in Christi meritum & in Deum, quam obedientis sinceræ, Dei mandatis debitæ, una & eadem sit causa in nobis efficiens, nempe Sp. S. ejusq; gratia. Porro posse siue potentiam hic intelligimus activam, non passivam. hanc enim omnibus hominibus communem agnoscimus, quam nulla ex brutis animalibus, nedum inanimata, habent.

25. Determinatio prædicati est de causa hujus activæ potentie in credentibus, an illa sit ex communibus nature viribus, an verò ex singulari gratia & dono Dei siue Spiritus Sancti? quorum illud Photiniani, hoc nos asserimus.

26. Vicina, imo planè gemella, huic est quæstio, quam movet Bellarm. lib. 6. de gratia & libero arbitrio, cap. 9: Sitne homo post lapsum primi hominis verè liberi arbitrij in ijs rebus, quæ pertinent ad salutem, ut quamvis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam prævenientem excitatus, & à Deo adjutus, ita valeat operari, ut possit etiam non operari? cujus affirmativam partem contra D. Lutherum, Calvinum, & Chemnitium, negativam amplectentes, ibidem cap. 10. & seqq. defendit.

27. Argumenta utriq; errori opponemus triplicia: testimonia scripturæ, antiquitatis consensum, & rationes ex scripturæ principijs desumptas.

28. Testimonia scripturæ erunt partim *κατασχεδασιν*, partim *ἀνασχεδασιν*. Prioris generis sunt, quæ vel initium fidei nostræ Deo ascribunt, Matth. 16. v. 17: 1. Corinth. 2. v. 4. 5: 2. Corinth. 3. v. 5: Galat. 5. v. 22: cum quo conjunge, 1. Corinth. 12. v. 9: Philipp. 1. v. 29. cap. 2 v. 13: vel progressum & augmentum ejusdem esse ab eodem docent: quod ab ipso petitur, Marci 9 vers. 24: Luca 17 v. 15: & pro eo ipsi gratiæ aguntur, 2. Thessal. 1. v. 3: vel deniq; perfectionem ejusdem à Deo esse confirmant, Philipp. 1 v. 6: 2. Thessal. 1. v. 11.

29. Posterioris generis sunt, quæ vel in genere omnem *δωραμιν* *καὶ ἰκνομένη* nobis in rebus spiritualibus & fidei adimunt, 1. Cor. 2. v. 14: 2. Corinth. 3. vers. 5. hominem esse mortuum in peccatis docent, Ephes. 2. v. 1: Coloss. 2. v. 13: vel in specie mentem esse obtenebratam & extacatam, Johan. 1. v. 5: Roman. 1. v. 21: Ephes. 4. v. 18: cap. 5. v. 8: imò omnem intelligentiam carnis esse inimicitiam adversus Deum, Roman. 8. v. 7. voluntatem esse averfam à Deo, non requirentem ipsius,

B

ibid.

ibid. c. 3. v. 11: atq; repugnantem ei, Matth 23. v. 37: Actor. 7. v. 51. cogitationes, inclinationes, appetitus, & affectus esse tantummodo ad malum omni die, Genes. 6. v. 5. cap. 8. v. 21.

30. Consensum antiquitatis ex *Arausicano concilio II. can. V. videre licet: qui ita sonat: Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente; Confidimus, quia, qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usq; in diem Domini nostri Jesu Christi, Philipp. 1. v. 6: & illud: Vobis datum est pro Christo non solum, ut in eo credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini, *ibid. v. 29.* Et, Gratia salvi facti estis, per fidem, non ex vobis: Dei enim donum est, Eph. 2. v. 8. qui enim fidem, quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.*

31. Rationes ex scriptura testimonijs duæ formari possunt: una *καταρχὴ καὶ αὐξησις*: Cujus initium, progressus, & augmentum, perfectioq; est ex Deo, illud totum est ab eo. Fidei competit totum illud antecedens. E. & consequens.

32. Altera *ἀναρχὴ καὶ αὐξησις*: Cujus rei principia omnia sunt in natura extincta & in contrarium mutata, ea non potest ex ipsa ejusq; viribus oriri. Fidei principia omnia sunt in natura extincta, & in contrarium mutata. E. ex natura, ejusq; viribus ipsa non potest oriri.

33. De causa fidei efficiente & procreante hæc sufficiant: de causa conservante cum aliqua esse possit dubitatio ex diversis theologorum phrasibus, ejus explicande gratia nostra erit VII. Quest. An per bonam conscientiam fides semel concepta confirmetur & conservetur? Resp. affirmant id nonnulli: negant alij: quibus nos subscribimus.

34. Subjectum hujus questionis est fides semel dono Spiritus Sancti concessa & concepta: de quo, ejusq; determinatione, quæ agit de causa efficiente principali ejusdem, actum est in precedentibus: prædicatum est

est duplex: conservare & confirmare: quæ duo inter se differunt: alterum enim respicit essentiam rei conservandæ, ne amittatur: alterum ejusdem accidens, infirmitatem, quæ roboranda est, ne indies magis magisque infirmetur & debilitetur. utriusque includitur causa efficiens conservans, quam affirmantes statuere videntur, saltem ex parte, hominem bonæ conscientie studiosum: negantes vero Spiritum S. in solidum: qui ut solus est procreans, ita etiam conservans causa fidei.

36. Determinatio prædicati agit de uno medio, per quod fides conservari & confirmari nonnullis videtur, non exclusis alijs: quæ, ut lucem aliquam huic questionibus obscure & tenebris implicatæ afferamus, in duos ordines digeremus. alia enim ipsi fidei, tanquam bona ordinata divinitus, alenda, conservanda, confirmandæque inserviunt, alia vero, quæ eidem infirmandæ, imminuendæ, extinguendæ tanquam mala & adversa nocere possint, avertunt. prioris ordinis sunt partim, quæ ejus objectam propriam, unde non minus alitur, quam concepta est, respiciunt, nempe verbum & sacramenta, partim, quæ hanc objecti proprii tractationem & meditationem ex Deo salutarem esse expectant, nempe preces. posterioris est unum, sanctitas & honestas vitæ, per quam cavetur, ne vel auctor fidei in nobis, nempe Spiritus S. contristetur exturbeturve, aut ipse fidei igniculus minuatur, extinguaturve. aliud autem est conservare & confirmare fidem, aliud cavere sibi ab ijs, per quæ debilitetur aut amittatur.

36. Argumenta nostræ sententiæ afferemus scripturam & rationem. Scripturæ testimonia sint hæc: 1. Corinth. 1. v. 8. Qui etiam confirmabit vos usque in finem. Philipp. 1. v. 6. Qui cepit in vobis opus bonum, etiam perficiet. 2. Thess. 3. v. 2. 3. Non est omnium fides: sed fidelis est Dominus, qui stabiliet vos. Heb. 12. v. 2. Respicientes ad fidei ducem & consummatorem Jesum. 1. Petri 1. v. 5. Virtute Dei custoditi per fidem.

37. Ratio sit hæc: Nulla causa conservatur per suum effectum. Fides est causa bonorum operum. E. per bona opera non conservatur.

38. Expeditis ijs, quæ huc pertinere nobis visa sunt de causa fidei efficiente, procreante, & conservante, proximum est, ut de causa *αγορεύουσα* sive impulsiva, agamus: in cujus tractatione valde nobilis occurrit disputatio, quæ erit VIII. Quæst. Sitne divinum electionis & repro-

reprobationis decretum absolutum causa adæquata, cur ex ijs, qui in ecclesia Evangelium audiunt, alij credant, alij non? *Resp. Calviniani affirmant, nos negamus.*

39. Electionis & reprobationis decretum absolutum, *h. e. citra respectum ullum usurpationis mediolorum factum, intelligunt Calviniani tale, quo Deus decrevit libera voluntate ex genere humano paucos, eosq; certos & definitos, hunc vel illum, assumere in filios, pro eis dare unigenitum filium redemptorem in mortem, ijsdem dare spiritum Sanctum, per quem ex verbi prædicatione credant, per sacramenta confirmantur, ceteris absolute præteritis, & in sua perditione relictis.*

40. Causa adæquata est, quæ aliàs dicitur immediata & proxima simpliciter, quæ posita in actu, res sive effectus necessario ponitur, quæ sublata, etiam necessario tollitur: ea ob id adæquata dicitur, quod æquè latè patet, & recipitur cum suo effectu, *h. e. ubi illa causa est, ibi est tandem effectus ille, & vice versa. sic Calviniani dicunt fidei dandæ causam adæquatam esse decretum electionis absolutum, incredulitatis verò decretum reprobationis itidem absolutum: & proinde quicumq; est electus, is necessario tandem ex illa causa credit, & qui credit, is necessario est electus: qui reprobus est, is necessario non credit, & qui non credit unquam, is necessario & absolute est reprobus. fidem enim esse πείθει & proprium & necessarium omnium & singulorum electorum, incredulitatem verò reproborum.*

41. Argumenta nostra possunt esse partim ἀναστυλιγὰς contra antagonistas nostros, causam, cur maxima pars hominum, Evangelij prædicationem audientium, non credit, in Dei decreto ponentes, partim ἀστυλιγὰς pro nostra sententia, quibus ostenditur, causam illam esse in hominum negligentia & malitia.

42. Prioris generis peti possunt cum ex doctrina de predestinatione, tum ex sequenti problemate de temporariorum fide vera, ex Dei dono. in illa docetur, ex verbo divino, Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis, (quæ est fides) venire, 1. Timoth. 2. v. 4: nolle eundem aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam (cujus potissima pars est fides) converti, 2. Petri 3. v. 9: nolle mortem impij, sed ut convertatur & vivat, Ezech. 33. v. 1: Christum idcirco missum esse, ut pro omnibus hominibus moreretur & satisfaceret, 2. Corinth. 5. v. 14: 1. Timoth. 2. v. 6: cap. 4. v. 10: etiam pro percutibus, Roman. 14.

v. 15.

v. 15. 1. Corinth 8. v. 1: 2. Petri 2 v. 1. 2: Hebr. 6 v. 6. cap. 10. v. 26.
& seqq vocationem Dei per prædicationem evangelij esse ex intentione
divina universalem, non minus ad rebelles sive repugnantes, quam ad
obsequentes & obedientes, Matth. 11. v. 28. cap. 23. v. 37. quod in pri-
mis testatur denunciatio pœnæ aeternæ facta incredulis, Johan. 3. v. 18.
19. cap. 12. v. 48. cap. 16. v. 11. quæ omnia & singula ostendunt Dei decre-
tum non esse causam incredulitatis hominum. in hac dum probabitur
fidem temporariorum esse veram fidem, & quidem ex dono Dei, eadem
opera ostendetur, causam ejus non esse decretum absolutum electionis.
hoc enim, in se formaliter consideratum, non pertinet ad reprobos: ex
quorum numero sunt temporarij, à fide deficientes ad incredulitatem,
& in hac perseverantes.

43. Posterioris generis, quibus causa incredulitatis vera asseritur,
dari possunt triplicis: 1. ex scriptura: 2. ex Patribus: 3. ex ratione.
Scripturæ testimonia sint hæc: Proverb. 1. v. 24. *Extendi manum
meam, & renuistis.* Esaiæ 65 v. 1. *Tota die expandi manum meam ad
gentem rebellem & contradicentem: quod Roman. 10. v. 21. repetitur.*
Matth. 23 v. 37. *Quoties volui te congregare, & noluisti? Luca 7. v.
30. Pharisei & legisperiti repellebant Dei consilium contra se, nolentes
baptisari ab ipso. cap. 8. v. 13. 14. Qui super petram, hi sunt, qui, cum
audiunt, cum gaudio sermonem suscipiunt: sed hi radicem non habent:
qui ad tempus credunt, & tempore tentationis deficiunt. quod verò in
spinas cecidit, hi sunt, qui postquam audiverunt profecti à sollicitudi-
nibus & divitijs & voluptatibus vitæ suffocantur, nec fructus ad finem
perducunt. Johan. 3. v. 19. Hæc est condemnatio, quod lux venit in
mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem. Actor 7.
v. 51. *Semper Spiritui S. resistitis.**

44. Patrum consensus ex sequentibus liquet. Ambrosius *serm.*
*3. in Psal. 118. (Hebr. 119.) v. 64. Mysticus sol ille justitiæ omnibus
ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, omnibus resurrexit.
ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem
non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si
quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus
est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est,
prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis à se
gratiam*

gratiam lucis excludit. Chrysoſtomus *homil 17. in Johannem*:
Christus profecto omnem hominem illuminat venientem in hunc
mundum, quantum in ipſo eſt. ſi qui autem ſponte ſua conniventibus
oculis mentis ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint,
non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt: ſed ex malitia ſua,
qui ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt. Proſper Aquitani-
cus (*alijs eſt Ambroſius, vide infra c. 2. theſi 37*) *lib. 2 de vocatione
gentium, cap. 9.* Fitq; manifeſtum, quod diverſis atq; innumeris
modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri: ſed qui veniunt, Dei
auxilio diriguntur: qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur,
*Idem, in reſponſ. ad capitula Gallorum. Object cap. 14. hæc eſt: Quod
qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædicatione non cre-
dant: & quod Deus ita definiert, ut, quicumq; non credunt, ex ipſius
conſtitutione non credant.* Reſponſio ad eam quia prolixior eſt, tan-
tum ultima verba ejus referam: quæ ſunt hæc: Tam in errore eſt,
qui infidelitatem impiorum ad Dei conſtitutionem refert, quàm
qui fidei juſtitiaq; ſanctorum non Deum profitetur auctorem. qui
enim, quod acceperat, perdidit, non inde id recipit, unde perdi-
dit, ſed ab illo recipit, quod habebat, à quo, quod amiſit, acce-
perat. *Et in ſententia ſuper 14 caput ita ait: Item, Qui dicit, quod
qui evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione
non credant: & quod Deus ita definiert, ut, quicumq; non cre-
dant, ex ipſius conſtitutione non credant, non eſt catholicus. ſicut
enim fides, quæ per dilectionem operatur, Dei donum eſt: ita
infidelitas conſtitutio Dei non eſt: quia Deus pœnas criminum
novit ordinare, non crimina.*

45. *Ratio ſit hæc unica: Cujus ultor juſtus eſt Deus, ejus auctor
ſuo decreto non eſt: vide Fulgentium lib 1. ad Monimum, cap 9. In-
credulitatis juſtus ultor eſt Deus. E. ejusdem ſuo decreto reprobatio-
nis auctor non eſt.*

48. *De cauſis quæ in controverſiam veniunt, hætenus ſunt propo-
ſita: ſubjectum quodnam ſit, an ſoli electi, an etiam reproborum qui-
dam, ut cognoſcatur, neceſſe eſt ut de fide temporariorum & pereuntium
aliquid proponamus. Sit itaq; IX Quæſt. An temporaria fides ſit
vera, & à fide juſtificante, quod ad eſſentiam, ſive ſpecie non dif-
ferens? Reſp. Nos affirmamus: negant Calviniani. vide Calvinum
lib.*

lib 3. institut. cap 2 §. 10. ubi fidei temporariam appellat fidei umbram seu imaginem, indignam fidei appellatione, a cujus solida veritate procul absit: fallacem fidei simulationem, qua non hominum (aliorum) oculis modo imponant, sed suis ipsorum animis. Confer ejusdem epist. 359. Beza in notis N. T. 1. Timoth. 4. v. 1. respons. parte 2. ad colloq. Mompelg. pag. 198. Ursinum in catechesi pag. 145. & 697. Zanchium in miscellaneis, parte 1. pag. 204. 440 453. Junium in parall. lib 3. pag. 417. & seqq. Rollocum de vocatione, pag. 186. ubi vocat fidei justificantis quasi quandam simiam: pag. tamen 92. dicit, apprehensio hæc, gaudium hoc, non sunt sincera, etsi suo modo vera. Polanum lib 9. cap. 6. syntagmatis: Perkinsium in curriculo hominis Christiani, thesi 7. pag. 14. Pareum in 1. Corinth. cap 15 pag. 988. Tilenum syntagmatis disputationum theolog. parte altera, disput. XL thesi 4. & seqq. Crocium de perseverantia sanctorum, lib 3. cap. 4. Hisce consentit Sixtus Senensis in bibliotheca sancta, lib. 6. annotat. 214. pag. 507. a. b. & quos ibidem adducit, Joannes Ferus & Michaël Medina, contradicentes Dominico Soto in hac questione.

47. Fides temporaria unde dicatur, notissimum est ex Matth. 13. v. 20 21. 22 Lucæ 8. v. 13. 14. quod non nisi ad tempus duret. quid autem sit, & in quo, ex sententia adversariorum, differat à fide justificante, quod ad essentiam, difficile apparet statuere: quod hujus speciei (ut loquuntur) & historicæ varij ponantur gradus, pro ingenio scilicet hominum, hac vel illa fide præditorum, quemadmodum scribit Tilenus loco paulo ante allegato, thesi 6: (Verba ejus sunt hæc: Varij in utraq; specie (fidei, historicæ & temporariæ) sunt gradus, pro ingenio scilicet hominum hac vel illa fide præditorum. alij rerum sacrarum notitia leviter perfusi, alij penitus ea sunt imbuti. Non eandem omnes omnibus sacræ historię narrationibus fidem habent, sed quasdam ad obliquissimæ rationis suæ captum ac modulum exigunt. sunt quorum fides, quamvis temporaria & evanida, vehementiore, quàm electorum, impetu ferri, zeloq; ardescere videtur, non mera simulatione, sed potius similitudine quadam fidei temporariæ cum vera & justificante: adeo ut seipfos ignorantes, pulchre statuminati, ac firmissimè radicati sibi videantur. Tot scilicet sunt vanitatis recessus: tam abstrusæ mendaciorum latebræ,

108

tot fraudum gyri ac mæandri in corde hominis, ut seipsum frequenter fallat) & descriptiones omnium inter se non congruant, quia alius hunc, alius illum gradum in sua descriptione respexisse videtur, quod ostendet variarum illarum descriptionum collatio. Nos, ut *SUBIECTUM* questionis nostræ ab omni ambiguitate liberetur, eum gradum fidei temporariæ intelligimus, de quo Calvinus agit lib. 3. institutionis Christi, relig. cap. 2 §. 9. & seqq. præcipue §. 11. ubi ait: Et si in fidem non illuminantur, nec evangelij efficaciam verè sentiunt, nisi qui præordinati sunt ad salutem; experientia tamen ostendit reprobos interdum simili ferè sensu atq; electos affici, ut ne suo quidem iudicio quicquam ab electis differant. Quare nihil absurdi est, quod cælestium donorum gustus ab apostolo, & temporalis fides à Christo illis adscribitur: non quod vim spiritualis gratiæ solidè percipiant, ac certum fidei lumen: sed quia Dominus, ut magis convictos & inexcusabiles reddat, se insinuat in eorum mentes, quatenus sine adoptionis spiritu gustari potest ejus bonitas. *Quæ postrema Calvinii verba ita in subsequentibus explicat*, (quod tamen lectori sublimitati dictionis, qua utitur, minus assueto, vix obvium putamus) ut summa omnium huc redeat: reproborum quosdam, nempe temporarios, sentire præsentem Dei misericordiam, ex inferiori Spiritus operatione sive actione ipsis manifestatam, qua credant Deum sibi propitium, sed sine adoptionis (æternæ) spiritu: h. e. destitui fiducia illa, vigente in solis electis, quam celebrat Paulus, ut pleno ore clament, Abba pater. hoc enim est compendium orationis prolixæ, qua utitur, ipsius Calvinii verbis expressum: ne quis alienam ipsi mentem à me affictam suspicetur. (vide infra thesi 58. originem hujus opinionis erroneæ: item quartum *ῥώεσται* veræ fidei ex Ursino, inf. cap. 2. hujus disp. thesi 3.)

48. Conferri cum his poterunt, tam ea quæ apud allegatos aliosq; plures non nominatos exstant, quam quæ in synodi nationalis Dordrechtanæ actis, ex iudicio theologorum Palatinorum, pag. 796. scripta leguntur his verbis: Et dem *ῥώεσται*, temporariam & perleverantem temporis solùm ac durationis adjuncto discriminant Remonstrantes: veritate, natura, effectis, hoc est, tota specie differre non agnoscunt. Et tamen posteriore modo à se invicem non mi-

BNS

aus evidenter distinguuntur in scriptura, quàm priore. quin diffe-
 rentia illius, quæ ex duratione est, fundamentum ponitur in diver-
 sitate veritatis ac speciei: cum duratio index sit veritatis, veritas
 autem principium durationis. quod patescit, si secundum locos in-
 ventionis, prout in themate simplici fieri consuevit, differentia
 præcipua *αὐτῆς* proponantur. Primò igitur differunt
causa efficiente, tam remota quàm propinqua. *Causa remota* fidei per-
 severantis est gratia electionis, Actor. 13. 48. Roman. 8. 29. 30:
 fidei temporaria gratia communis, ex qua reprobis etiam varia
χαρισματα dispensat Deus, ad ædificationem ecclesiæ: quæ gratiæ
 gratis datæ appellari solent: argumento loci, 1. Corinth. 12. 8. 9. 10.
 & 13. 1. & seqq. *Causa propinqua* illius est spiritus renovationis,
 Tit. 3. 7. regenerationis, Johan. 3. 3. adoptionis, Rom. 8. 13: istius,
 spiritus illuminationis, Hebr. 6. 4. Secundò differunt *subjecto:*
tum cū, quod in fide perseverante est electus, Tit. 1. 1, Rom. 11. 7.
 Actor. 13. 48. in temporaria reprobis, Matth. 24. 11. & 24. 1. Joh. 2.
 19: *tum cū q̄,* quod illic est intellectus cognoscens & voluntas sem-
 cor acquiescens in promissione & sensu gratiæ, Lucæ 8. 15. Actor.
 10. 37. Rom. 10. 9. 10. Ephes. 3. 17: hic, intellectus tantum, vel etiam
 cor aliunde, quàm ex vivifico gratiæ sensu dilatatum, Lucæ 8. 13.
 Hebr. 6. 4. 5. Tertio differunt *forma,* nam in fide perseverante est
 fiducialis Christi apprehensio: per quam in ipso radicatur credens,
 Col. 2. 7. Jerem. 17. 7. 8. & quam *ῥαίζωμα τῆς πίστεως* apostolus
 nuncupat, Col. 2. 5: contra, fides temporaria radicem non habet,
 Matth. 13. 20. Lucæ 8. 13. Quartò differunt *sine & effectis.* *Finis*
 fidei perseverantis est salus animarum, Hebr. 10. 39. 1. Petri 1. 5. & 9:
 temporaria non item, Matth. 24. 13: *Effecta* illius varia sunt, de qui-
 bus Roman. 5. 6. in primis autem gaudium solidum & constans, Joh.
 16. 22. in medijs afflictionibus perdurans, Rom. 5. 3. quod inde gau-
 dium fidei vocatur, Philip. 1. 25. at nec illud, Lucæ 8. 18. nec cetera
 effecta ex temporaria proveniunt. gaudium enim ejus est cum ipsa
 evanidum. Quintò differunt *adjunctis sinceritatis & durationis.*
Sinceritatis, quia fides perseverans *ἀνομιᾶς ἐστὶν* est, 1. Timoth. 1. 5.
 temporaria, hypocritica, 1. Joh. 2. 19. Lucæ 8. 18. *Durationis,* quia
 perseverans permanet, Luc. 22. 32. temporaria deficit, Matt. 13. 20. 21.

C

1. Joh



v. Joh. 2. 19. Antithesis igitur hæc esto: *Fides æternæ & vera & justificans fides non est; nec ad salutem placet Deo: à fide autem ad finem usq; perseverante specie differt.* Hæc Palatini: adde, si placet, *judicium professorum Belgicorum, quod pag. 355. deputatorum ecclesiarum Frisiacarum, pag. 421. deputatorum Transisulaniæ, pag. 422. & seq. Drentanorum, pag. 431. deputatorum synodi Groningæ & Omlandiarum, pag. 444. & seqq.*

49. In primis autem utile & necessarium apparet ad extricandas perplexitates, & ad discrepantias cognoscendas, quæ in descriptione fidei temporariæ apud adversarios occurrunt, audire Robertum Rollocum Scotum de hoc argumento differentem, in tractatu de vocatione efficaci, pag. 190. & seqq. edit. Herborn. 1600. his verbis: *Objectum* idem habet cum fide justificante, & propriè dicta, nempe, Jesum, Christum, cum suis beneficijs, in evangelij verbo, & sacramento oblatum, quo differt à fide historica, quæ pro objecto habet universam veritatem. *Subjectum* idem habet cum fide justificante: nam sedem suam habet & in mente, & in voluntate sive corde. Deniq; *nature partes* habet totidē, quot habet fides justificans. nā ipsa & mentis cognitio est, cum utroq; mentis judicio, (quod pag. 180. in fide duplex facit: primum veritatis, cum mens assentitur propositioni evangelicæ, quod vera sit, eamq; amplectitur, quia vera est, Joh. 3: 33: 1. Timoth. 1. 15: deinde bonitatis, cum mens assentitur rei, quæ est in propositione evangelica, quod bona sit, ac proinde sequenda, Roman. 7. 16. 1. Corinth. 1. 18. & v. 24.) & voluntatis sive cordis apprehensio: ex qua etiam sequitur commotio affectuum, ut gaudij, delectationis, &c. Ut autem paulo fufius dicam (inquit idem Rollocus) de apprehensione ista, quæ est in fide temporaria, deq; gaudio isto: primum ex scriptura constat, ista esse in fide temporaria. nam Christus apud Matthæum dicit, temporarium accipere sermonem, idq; cum gaudio: & apud Johannem dicuntur Judæi exultasse ad tempus in luce Johannis baptistæ: & ad Hebræos non tantum mentis illustratio, eaq; facta non tantum per verbum, sed etiam per Spiritum: nam ait, *Qui participes facti fuerint Spiritus Sancti.* Ergo in fide temporaria est re ipsa apprehensio quædam, est re ipsa gaudium quoddam, quo differt fides tempora-

pora-

poraria à fide historica. nam in fide historica ista non sunt re ipsa, sed qui eam habet, simulat, fingit, mentitur externa professione se ista habere: quare impudens est hypocrita: at verò qui fidem habet temporariam, hæc re ipsa habet, apprehensionem, inquam, & gaudium, suo quodam modo: hypocrita tamen est, quia apprehensio hæc, gaudium hoc, non sunt sincera, etsi suo quodam modo vera sint. Dico *non esse sincera*, quia non sunt propter eam causam, propter quam esse debent, hoc est, non sunt propter ipsum Christum in verbo Evangelij oblatum, non sunt propter Deum, non sunt propter gloriam ipsius, non propter cælestia illa Christi beneficia, justitiam ipsius & vitam æternam: verum sunt propter alias causas, ut propter novitatem evangelij, quæ intelligenda est illo loco Joh. 5. v. 35. Deinde sunt propter licentiam peccandi, quam auditâ justitia illa in Christo gratuita, & libertate Christiana, statim sibi arripiunt homines. Sunt deniq; propter divitias, honores, aliaq; hujus vitæ compendia. cum has sibi causas propositas habeat temporarius in audiendo & accipiendo verbum atq; gaudendo, ista in eo non sunt sincera oportet. nihil enim sincerè agitur, nisi id ipsum respectu divinæ gloriæ agatur. Atq; hac in re differt fides temporaria à justificante. nam justificans omnia facit propter Christum ipsum, Deum ipsum, cælestia & spiritualia Christi beneficia, quantum per humanam infirmitatem potest fieri. Ex his itaq; sequitur, temporarium etiam hypocritam esse, cum non sit sincerus, & temporariam fidem hypocriticam esse, cum non sit sincera. Ex eo rursus, quod non sit sincera, aliud sequitur, nempe, *non esse solidam eam ac firmam*, nihil enim, quod non sincerum est, solidum esse potest. causæ enim illæ, quibus ea nititur, solidæ non sunt: v. g. res istæ mundanæ, ut divitiæ, honores mundi, &c. qua in re differt fides temporaria, à fide justificante. nam fides justificans ut sincera est, ita solida est. de ea enim dicitur Coloss. 2. 5. *Et soliditatem vestra in Christo fidei*. est enim fides justificans solidum quasi corpus, constans tribus dimensionibus, longitudine, latitudine, & profunditate. profundum enim atq; imū cordis occupat. At fides temporaria non est corpus cum tribus quasi dimensionibus, sed superficies tantū hærens in convexitate cordis. neq; enim vel solida lux est, totum cor illustrans, vel solida apprehensio, ab imo cordis proficiscens: vel deniq; solidum gaudium, totum corpus occupans: sed ista omnia

duntaxat superficialia sunt in fide temporaria, unde Heb. 6. apprehensio illa, quæ in ea est, rerum cælestium, comparatur gustui, hoc est, levi tactui: cum cor quasi linguæ suæ extremitate & mucrone cælestia illa leviter degustat, non autem penitus imbibit, atq; in sese recipit. Ex hoc rursus, quod fides temporaria non sit solida, sequitur & aliud, nempe *quod non duret in perpetuum, sed duntaxat ad tempus.* quod enim non est solidum, durabile & perpetuum non est, sed temporarium tantum. Qua in re quoq; differt à fide justificante, quæ ut solida est, ita perpetua & constans. Ab hac proprietate fides hæc nomen suum accepit, & temporaria vocata est. Præsupponit autem hæc proprietas præcedentes illas duas: nempe, primum, quod non sit solida, deinde, quod non sit sincera, etiamsi suo quodam modo vera. *Hactenus Rollocus: cujus sententiam ipsius verbis, quantumvis prolixius, conceptam referre visum est, partim, ut varietatis, & in ea evanescere, apud antagonistas nostros occurrentis, qua statuunt fidem temporariam veram, respectu fidei historicæ externa professione mentientis, quæ re ipsa non sunt in ea, & tamen eandem appellant hypocriticam ex causis fidei non veris sive non sinceris, eam generantibus, cognoscendæ, dijudicandæ conciliandæq; rationem ostenderemus: partim, ut de hac temporaria fide, quam ex novitate evangelij, ex licentia peccandi, ex amore divitiarum, honorum, aliorumq; hujus vitæ compendiorum homo naturalibus viribus concipit, nos non agere in hac questione constaret: sed de ea, quæ Deus efficit, insinuans se in mentes temporariorum, easq; irradians, & presenti gratiæ suæ sensu, qui postea evanescit, illustrans ita afficit, ut quoddam mutui amoris desiderium in eis excitet, per prædicationem evangelij, tanquam seminis, quod jacet in eorum cordibus: (vide Calvinum lib. 3. instit. cap. 2. §. 11. 12. Confer Zanchium lib. 5. de attributis Dei, cap. 2. pag. 596. b. ubi disertè scribit, Deum donare fidem temporariam: quæ dum præditos falli ait, pag. 620. necesse est, ut concedat, aliquod Dei donum esse, quod qui habent, eo fallantur.) in qua sunt omnes veræ & justificantis fidei partes, idem objectum & subiectum, ut fatetur Rollocus, pag. 190. & seqq. quemadmodum ex ejus verbis hac ipsa thesi allegatis liquido constat.*

50. **PRÆDICATUM** in hac questione duplex est: prius agit de veritate: posterius de identitate essentiali sive specifica cum fide
justi-

justificante. Verum opponitur vel falso & ficto, vel non-sincero. ut
trovis modo hinc sumatur ab adversarijs, nos temporariam fidem, quam
oppugnat Calvinus, veram, h. e. minimè fictam & sinceram, dicimus.
Idem esse specie sive essentia quid sit, patet cum ex opposito, quod est
differre specie sive essentia, tum ex eorum descriptione, quæ exstat in
Damasceni Dialect. cap. 48. ubi inquit: Ομοειδή εἰσιν, ὅσα ὑπὸ
αὐτὸ εἶδος πείσανται καὶ κεινῶν ἔσσι τῷ λόγῳ τῆς ἕσσης.
h. e. Eadem specie sunt, quæ ordinantur sub una specie, & communi-
cant ejusdem definitione. sic fidem temporariam, de qua nobis cum Cal-
vino est controversia, dicimus eandem esse essentia & specie cum justifi-
cante: à qua tantum differt accidente, nempe duratione, & proinde
non est salvifica, quia destituitur perseverantia, quæ requiritur in eo,
qui fide salutem consequi vult, vide Matth. 24. v. 15. Johan. 8. 31. Rom.
11. v. 22. Coloss. 1. v. 23. 1. Tim. 1. v. 19. Hebr. 3. v. 6. & 14 cap. 10. v. 38.
1. Pet. 2. v. 21. Apoc. 2. v. 10.

51. Argumenta pro hac sententia adducemus, partim ἀνα-
στασιμὰ, partim κειρασμὰ. Prioris generis sunt duo:
unum ex defectu verbi divini, quod est norma credendorum & facien-
dorum unica: unde talem syllogismum formamus: Ea tantum sunt
in theologicis asserenda, quæ in scriptura fundamentum habent. Opi-
nio eorum, qui statuunt, fidem temporariam nec esse veram, nec cum fide
justificante eandem specie & essentiâ, in scriptura fundamentum non
habet. E. opinio ista non est asserenda.

52. Alterum ex natura homogenea principiorum & ex principijs
deductorum: quæ suppeditat talem rationem: Si falsa sunt principia,
ex quibus deducitur, fidem temporariam non esse veram, nec eandem
specie cum justificante, ipsa opinio & conclusio inde educta etiam erit fal-
sa. ex falso enim nil nisi falsum per se sequitur. At falsa sunt, ex qui-
bus tanquam principijs deducuntur dogmata duo antagonistarum, de
vera & salvifica fide solis absolutè electis propria: & de eadem semel
data nunquam amittenda, licet eam habentes in peccata regnantia inci-
dant: quorum alterum ex dictis dicendisq; in hac questione patere ar-
bitramur, alterum probabitur infra suo loco. E. etiam falsa ipsa
opinio, quæ inde educitur.

53. Posterioris generis sint hæc duo: Unum: Fides, quæ habet

omnes partes fidei justificantis & salvifica, ea est vera, nec essentia sive specie differt à justificante. Fides temporaria, de qua est controversia, habet omnes partes fidei justificantis & salvifica. E. est vera, nec essentia sive specie differt à justificante.

54. Occurritur hic nobis variè à varijs: & primò quidem contra propositionem, cujus antecedens limitandum esse dicent nonnulli, ex ijs, quæ Rollocus habet pag. 192. & seqq. & supra thesi 49. commemorata sunt, in hunc modum: Fides, quæ habet omnes partes fidei justificantis & salvifica sinceræ, solidas ac firmas, durantesq; in perpetuum, ea est vera, nec essentia sive specie differt à justificante. At fidei temporariæ non competunt priora: ut supra est ostensum. E. nec posterius. Resp. 1. Propositio distinguenda est: de prioribus duabus concedi potest: ea enim ad essentiam veræ fidei pertinent: de posteriori, quæ accidens tantum est, negatur. Resp. 2. Assumptio ex eadem distinctione explicanda est. de fide, quæ solo assensu doctrinæ Christianæ constat, & concepta est persuasionem sive consilio humano propter novitatem Evangelij, vel propter licentiam peccandi, vel propter divitias, honores, aliq; hujus vitæ compendia, eam minimè sinceram esse, & proinde nec solidam nec firmam esse largimur: at nos eam intelligimus fidem, quæ ex Dei irradiantis temporariorum mentes dono est tanta, ut ejus gratiam agnoscant, sicut loquitur Calv. S. 11. cujus gustu affecti ipsum verbum avidè arripiunt, eiq; reverentiam deferunt, divinam ejus virtutem persentiscunt: (S. 10.) quæ assensio licet in omnibus ad ipsum cor (h. e. ad imum & profundum ejus) minimè penetret, ut illic defixa resideat: (ibid.) in aliquibus tamen per aliquot annos non flores tantum & folia emittit, sed etiam fructus, & est instar arboris non satis altè plantata, ut vivas radices agat, quæ temporis successu arefcit: qua comparatione utitur idem Calv. S. 12. Adde superius dicta thesi 47. & ex Rolloco, de eodem subjecto, objecto, & partibus fidei temporariæ cum justificante, thesi 49.

54. Instant. 1. Notitia fidei justificantis & veræ est distincta omnium articulorum fidei, & inter hos aternæ gratiæ sive adoptionis in filios. Notitia fidei temporariæ non est distincta, sed confusa, qua leviter reproborum nonnullos tingit Evangelij sui notitia, electos penitus imbuat, (S. 12.) unde temporarij gratiam ejus & præsentem misericordiã agnoscunt, Deum sibi propitiũ credunt, sed sensum illũ à peculiari testimonio, quod

quod reddit suis electis, non percipiunt, nec ad solidum effectum & fruitionem (qua consistit in agnitione aeternae misericordiae & adoptionis in filios, ex qua pleno ore clamant, Abba, Pater) perveniunt. (§. 11.) E. fides temporaria non est fides justificans & vera. Resp. 1. Propositionis praedicatum distinguimus. distincta enim notitia accipitur vel respectu confusa, vel respectu ignorantiae, qualis est fidei, qua dicitur, implicitae: nos priori sensu explicitam requirimus credendorum notitiam: in qua tamen gradus admittuntur, qui non variant speciem: & aeterna gratia sive adoptio in filios Dei alia statuitur ab adversarijs, alia docetur in scripturis. illa docendi & distinguendi gratia dicitur absoluta, haec relata: illius fundamentum est decretum absolutum, quod uti nec in verbo traditum est, ita sine jactura fidei ignorari potest & debet: hujus vero evangelium ejusque promissiones. Resp. 2. Assumptio negatur: cui contrarium docet in multis temporarijs experientia, attestante Cavino ac Fileno (vide sup. thesin 47.) & ipsa tota superstructa est dogmati de absoluto electionis & reprobationis decreto falso, de certis quibusdam, usque paucis, ex tota multitudine hominum electis, quos ex absoluta gratia in filios adoptavit Deus, pro quibus solus filium unigenitum redemptorem in mortem dederit, quos solos vocet praedicatione evangelij, & fide vera donet: (vide thesin subsequentem 55. circa finem.)

55. Inst. 2. Assensio fidei vera & justificantis ad cor ipsum usque penetrat, inum cordis occupat, solidus est instar solidi corporis, quod constat tribus dimensionibus, Coloss. 2. v. 5. Et soliditatem vestrae in Christo fidei: & fiduciam in Christum sibi perpetuo junctam habet. Assensio temporariae fidei ad cor ipsum usque minime penetrat, ut illic defixa resideat, sed similis est levi tactui & gustui, Hebr. 6. v. 5. & quamquam radices egisse interdum videtur, viva tamen illa non sunt: (vide dicta superius ex Rolloco de soliditate fidei, th. 49. & Calv §. 10. Credunt certe plurimi Deum esse, evangelicam historiam ac reliquas scripturae partes veras esse arbitrantur: quale ferè judicium esse solet de ijs, quae vel olim gesta narrantur, vel ipsi praesentes spectavimus. sunt etiam qui ultra procedunt. nam & Dei sermonem pro certissimo habent oraculo, nec ejus praecepta prorsus negligunt, & minis & promissionibus utcumque commoventur. (§. 9.) sed ipsissimam pietatem esse sibi persuadent illam, quam Dei verbo deferunt reverentiam: (h. e. nihil ultra requiri putant ad veram & salvificam fidem, praeter hanc assensionem) quia

quia nullam esse impietatem reputant, nisi manifestum & confessum
 ejus vel probrum vel contemptum. (§. 10.) E. fides temporaria non est
 vera, nec justificans. Resp. 1. Propositionis predicatum intermedium
 peccat μετεβάσει εἰς ἄλλο ἄρ. 1. dum quae apostolus Col. 2. v. 5. de
 fidei soliditate, sive stabilitate, ratione sui fundamenti, quod est Chri-
 stus, cui innititur, intelligit: (vide ibid. v. 4. & 6. 7.) ea ex physici cor-
 poris requisitis dijudicat: cum tamen spiritualia spiritualibus oporteat
 συγκρίνειν, 1. Corinth. 2. v. 13. & de hac diversitate usus, in hac voce
 occurrentis apud philosophos & scriptores canonicos, recte monet Basilius
 ἐν ὁμιλίᾳ γ. εἰς τὴν ἐξαήμερον, pag. 11. his verbis: Τὸ τὸ σπρεώ-
 μα | ὄνομα σωητὴς τῆ γραφῆ ἵπὶ τῶν κατ' ἰσχυρὸν ἱεραβαλ-
 λόντων πείσσει ὡς ὅταν λέγη, Κύριε σπρεώμα μὲ καὶ καταφυγή
 μὲ. καὶ, Ἐγὼ ἐσπρέωσα σὺν σύλῃ αὐτῆς. καὶ τὸ, Διενεῖτε αὐτὸν ἐν
 σπρεώματι διωάμεως αὐτῆς. οἱ μὲν γὰρ ἔξωθεν σπρεὸν λέγουσι σῶμα,
 τὸ οἶον νασὸν καὶ πλῆρες ὁ πρὸς ἀνιδιασόλην τὸ μαθηματικῶ
 λέγουται. ἐστὶ δὲ τὸ μὲν μαθηματικὸν, τὸ ἐν μόναις ταῖς διαστάσεσι
 τὸ εἶναι ἔχον, ἐν τῷ πλάτει λέγω, καὶ τῷ μήκει, καὶ τῷ βάθει. τὸ
 δὲ σπρεὸν, ὁ πρὸς πῶς διαστάσεις, καὶ τὸ ἀντιτυπῶν ἔχει τῆ δὲ γρα-
 φῆ σωητὴς τὸ κραταιὸν καὶ ἀνένδοτον, σπρεώμα λέγειν, ὡς καὶ ἵπὶ
 ἀέρ. 1. πολλάκις καταπυκνωθέν | τῆ φωνῆ πύτη κεχρησθῆς.
 Resp. 2. Assumptionis primum membrum in ἄρσει refutatur ipsius
 Calvinii verbis §. 11. quae ita sonant: Merito tamen dicuntur repro-
 bi Deum credere sibi propitium: quia donum reconciliationis, li-
 cet confusè, nec satis distinctè, suscipiunt: non quod ejusdem vel
 fidei vel regenerationis participes sint cum filijs Dei: sed quia com-
 mune cum illis fidei principium habere videntur, sub integumento
 hypocriseos. Nec verò nego quin hucusq; eorum mentes irradiet
 Deus, ut ejus gratiam agnoscant: sed sensum illum à peculiari te-
 stimonio, quod reddit suis electis, ita distinguit, ut ad solidum
 effectum & fruitionem non perveniant. non enim ideo se propi-
 tium illis demonstrat, quia verè ex morte ereptos in custodiam
 suam recipiat, sed tantum illis manifestat praesentem misericor-
 diam: viva autem fidei radice solos electos, dignatur, ut in finem
 usq; perseverent. Ita diluitur objectio illa, si verè gratiam suam
 demon-

demonstrat Deus, hoc perpetuò fixum esse: quia nihil obstat, quo-
minus presenti gratiæ suæ sensu, qui postea evanescit, Deus ali-
quos illustret. *Hæc ille: in quibus disertè conceditur, temporarios*
reprobos credere, Deum sibi propitium: corde autem quia creditur ad
justitiam, Rom. 10. v. 10. necesse est etiam concedi eorum fidem ad cor
usq; penetrare. In J̄s̄ei quod dicitur de gustu, qui sit semper contra-
distinctus esui & bibitioni, id refutat, præter experientiam, scriptura,
1. Samuel. 14. v. 29. & 43: 2. Samuel. 3. v. 35: 2. Regum 4. v. 10. &
alibi.

56. Secundum membrum & hypothese falsa laborat, & verbis
Calvini §. 12. repugnat. *Hypothesis falsa est, ad fidei veræ & salvificæ*
integritatem requiri perseverantiam, sicut ad arboris vivæ partes inte-
grales pertinet radix defixa in terram, eaq; viva: quod negamus, &
eadem opera simile D. Parei, de pertica saligna ramescente in urna,
quo utitur lib. 3. c. 14. de justificatione contra Bellarm. pag. 861, & cap.
15. pag. 909. repudiamus: quia alia est ratio essentiæ arboris, ad cuius
integritatem requiritur radix, alia essentiæ fidei, ad quam ejusmodi ra-
dix, h. e. perseverantia quo minus referenda videatur, patet ex Matth.
13. v. 22. Luca 8. v. 14 & ex alijs in hac questione dictis & porro dicen-
dis. Verba Calvini huic ipsius assertioni contraria habentur §. 12.
Nego igitur eos (temporarios) vel Dei voluntatem, ut est immuta-
bilis, capere, vel ejus veritatem constanter amplecti: quia in sensu
evanido subsidunt, sicuti arbor non satis altè plantata, ut vivas ra-
dices agat, temporis successu arefcit: licet per aliquot annos non
flores tantum & folia emittat, sed etiam fructus. Ex his ita argu-
mentamur: Qualis est radix arboris non satis altè plantata, talis est ra-
dix fidei temporariorum, qui in evanido sensu subsidunt. At illa per
aliquot annos est viva: quod flores, folia, & fructus producti ostendunt:
& patet idem ex §. 10. ubi dicitur, temporarios fallaci fidei simulatione
(de qua ambiguitate loquendi dictum est thesi 49. circa finem) non ho-
minum (aliorum) oculis modo imponere, sed suis ipsorum animis: quod
de effectibus fidei temporariæ in oculos hominum incurrentibus necessa-
riò accipiendum est. E. & fidei temporariorum radix est talis.

57. Tertium membrum ab hac questione est alienum. non enim
de istorum temporariorum fide agimus, qui vel in solo assensu, vel in

D

con-

conjuncta cum eo notitia, fidei verae & justificantis definitionem poss-
tam autumant.

58. Instant. 3. Cui fidei deest filialis fiducia, ea non est vera & ju-
stificans fides. Temporariorum fidei deest fiducia filialis. E. non
est vera fides. Assumptionem astruit Calvinus §. 11 his verbis: Quam-
vis magna sit similitudo & affinitas inter Dei electos, & qui fide ca-
duca ad tempus donantur, vigere tamen respondeo in solis electis
fiduciam illam, quam celebrat Paulus, ut pleno ore clament, Abba
Pater. Et paulo post ibidem: Adde, quod reprobi nunquam sen-
sum gratiae nisi confusum percipiunt, ut umbram potius appren-
dant, quam solidum corpus: quia peccatorum remissionem Spiritus
proprie in solis electis obsignat, ut eam speciali fide in usum suum ap-
plicent. Subsequentia ejusdem verba, quae etiam huc pertinent, jam
ante allegata exstant, thes. 55. Resp. Propositionis antecedens di-
stinguendum est. de habitu & potentia omnimoda, non de actu perpetuo
id concedimus. cui enim fidei deest filialis fiducia, in totum, quod ad
habitum & potentiam compellendi & invocandi Deum ut patrem, ea
non est vera fides: non autem semper quod ad actum. alioqui etiam
verè fideles in tentationibus gravissimis, quando sibi videntur projecti à
Dei facie, Psal. 31. v. 23. non diligi paternè, nec tractari filialiter, cum
ipsis sit malè, malis verò benè, Psal. 73. v. 2 & seqq. Habacuc 1. v. 2.
cum seqq. & alibi, & propterea in filiali fiducia eum accedere non au-
dent. dicere autem, verè fideles esse aliquando sine vera fide, est dicere
lucidum esse sine luce, calidum sine calore: quod est contradictorium
in adjecto. Primus autem erroris fons, quem philosophi πῦρ καὶ θεῶν
& appellant, est dogma de absoluto decreto electionis, in quo doce-
tur, quod quemadmodum absolutè certos quosdam homines adoptavit
in filios, pro quorum redemptione miserit filium, eumque dederit in
mortem, ita eosdem etiam, & praeterea neminem ex reprobis, sanctifi-
cet & donet fide vera, justificante, salvifica, & proinde semper per-
severante, per quam sentiant se esse filios Dei ab aeterno, ex mera gratia
& misericordia electos: de reliquis pereuntibus reprobis etsi quosdam
illustret notitia, donet assensu, & fiducia praesentis misericordia, non
tamen aeternae. quod dogma quomodo conciliari possit cum thesi Zan-
chij, lib. 5. cap. 2 pag. 610. a. qua dicit: Quisque mandato Dei te-
accur

netur credere, se ad salutem æternam in Christo fuisse electum ac
 præ destinatum: maximè autem, qui fidem in Christum profitetur:
 non video. ita enim ex ejusdem pag 619 b (ubi scribit, Deum suam cuiq;
 homini propriam revelare maledictionem, hac generali propositione,
 quæ exstat Deuteron 27. v 26. Maledictus omnis, qui non permanse-
 rit in omnibus, quæ scripta sunt in lege) est argumentandum: Quod
 Deus cuiq; homini revelat, id tandem tenetur credere. At non omni-
 bus revelat benedictionem sive electionem in Christo: sed solis credenti-
 bus, & in fide perseverantibus: ceteris verò omnibus, qui sunt vel in-
 creduli perpetuo, vel ad tempus tantummodo credunt, maledictionem
 & damnationem. E. illi tantum, non hi id tenentur credere. Adde
 & hunc syllogismum: Qui tenetur credere quod revera non est, is fal-
 sum tenetur credere. Reprobi (v.g. Saul, Judas.) tenentur cre-
 dere, quod revera non est. reprobis enim revera non sunt electi: quod
 tamen ex præscripto Zanchij tenentur credere. E. tenentur falsum cre-
 dere: quod est impium & absurdum.

59. Inst. 4. Ad rerum aliquarum essentiam facit duratio, quæ est
 vel temporaria, vel æterna, & quidem absolute, vel secundum quid,
 prout sunt entia, quorum essentia agitur. Æternitas absoluta facit
 ad essentiam Dei: æternitas secundum quid dicta facit ad essentiam
 angelorum, animarum rationalium, & quorundam Dei charisma-
 tum, quorum essentia omnino ex sancto Dei decreto ac hostiliter repu-
 gnat desinere & non esse. E. sicut anima rationalis non est, quæ non ea-
 dem sit immortalis: ita fides salvifica non est, quæ deficit, quæ extin-
 guitur, quæ deseritur, ut argumentatur D. Crocius lib. 4. de perseve-
 rantia sanctorum, cap. 4. pag. 281. & seq. edit. posterioris. Resp. Pro-
 positionis omisse consequentia negatur esse firma, quia procedit à par-
 ticulari. Assumptio, ut ex conclusionis illustratione elucet, sumit
 tanquam paria, quæ sunt disparia. immortalitas animarum docetur,
 Genes. 1. v. 27. cap. 15. v. 15. cap. 25. v. 8 Matth. 22 v. 32. Lucæ 16 v 23.
 cap. 23. v 43: fidei autem salvificæ perpetua duratio nusquam: sed e-
 jusdem cessatio evidenter est ostensa, 1. Corinth. 13. v. 13: 2. Corinth. 5.
 vers. 7.

60. Alterum argumentum posterioris generis sit tale: Fides, quæ
 profert verè bona opera, est vera & justificans. Fides temporaria pro-
 fert

E 2

fert

fert verè bona opera : quod patet ex duplici testimonio Calvinì, de quo vide thesìn 56. E. fides temporaria est vera & justificans.

61. Contra assumptionem nec folia perticæ à D. Pareo, de quibus thesì 56. nec herba erumpens sine fructu, à D. Crocio, lib. 3. de perseverantia sanct. cap. 4 pag. 208. producta, quicquam valent : ut de illa ex dictis eo loco patet, de hac ex verbis D. Crocij evidens erit, in quibus agit de tribus hominum generibus in ecclesia, qui vocantur in scripturis filij Dei : primi, qui in corde, secundi, qui in mente, tertij, qui in ore habent Christum, justitiam, & sanctificationem nostram : de quorum intermedijs scribit, pag. 207. eos non solum unà cum alijs profiteri Christum, sed etiam eum agnoscere, & sanctum evangelium per lumen Spiritus S. esse edoctos, & verò etiam aliquo modo se participes esse factos Spiritus Christi declarare, dum partim verbis, partim factis aliquo modo Deum glorificant, ita ut verbi semen in illis jactum enatum, & in herbam erupisse videatur. Hactenus D. Crocius : qui dum herbam appellat verba & facta, quibus Deum temporarij glorificant, oculatiorem se alijs ostendit, qui communi consensu ea inter fructus veræ fidei veros recensent, præferente eis judicij facem apostolo, 1. Corinth. 10. v. 31. Col. 3. v. 17 : & ipse ista dignoscere poterat à frumento, (seu potius germine,) quod in tectis subnasci videmus, & antequam granescat, æstu tactum exarescit : ut ipse loquitur, pag. 280.

62. Plus speciei & coloris habere videtur, quod Zanchius in miscellaneorum part. 1. pag. 204. ex philosophia assert : Omnis vera virtus est constans. sine constantia enim virtutum veritas consistere non potest. Fides temporaria non est constans. E. non est vera virtus. Propositio illustratur à minori : Verus continens est, qui in vera opinione & proposito recto permanet, teste Aristotele lib. 7. ethic. cap. 2. & 9. E. multo magis virtute præditus. Resp. Propositio secundum quid vera est, nempe, de virtutibus ethicis, per crebras actiones comparatis, quarum habitus sunt constantes : quod de dispositionibus dici non potest : assumptio loquitur de virtute theologica per Spiritum S. infusa. fiunt igitur quatuor termini, & transitus ad aliud genus. Referrì huc potest comparatio parium facta inter imaginem Dei in suo genere absolutissimam & perfectissimam, nec minus tamen defectione primi hominis ex ejus mente & anima deletam, & inter fidem veram & justificam temporariorum : quam habet Calvinus §. 12. sed in apodosi ad præconceptæ suæ opinionis dogma misere depravatam.

63. Ar-

63. *Argumentis nostris haecenus expositis subiiciemus antiquitatis consensum, ex uno alterove Augustini loco colligendum. Ille igitur T. VII. lib. de correptione & gratia, cap. 8. ita scribit: Mirandum est quidem multumq; mirandum, quod filijs suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam: cum filijs alienis scelera tanta dimittat, atq; impertita gratia sua, faciat filios suos. quis hoc non miretur? quis hoc non vehementissimè stupeat? cap. 9. ejusdem libri: Appellamus ergo nos & electos Christi discipulos & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus: sed tunc verè sunt, quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur.*

64. *Restat ultima & X. Quest. An objectum fidei justificantis, formaliter considerata, sint solæ promissiones evangelicæ, de merito & satisfactione Christi? Resp. nos affirmamus: Pontificij negant: vide Bellarm. lib. 1. de justificat. cap. 4. & 8. item Photiniani sive Sociniani: vide Socinum de Servatore Christo, parte IV. cap. 9. Ostendendum in institut. cap. 2.*

65. *Subjectum nostræ questionis est objectum fidei justificantis, quod duplex ab alijs constitui solet, adequatum sive commune, & proprium sive singulare. Adequatum est tota scriptura sacra, lex & evangelion: proprium est gratia sive misericordia Dei in Christo promissa, exhibitæq; & in evangelio oblata. illud respicit notitiam & assensum: hoc propriè fiduciam: id quod innuit determinatio subjecti, quæ ostendit, fidem justificantem hic formaliter considerari, prout est fiducia, non verò materialiter, prout est etiam notitia & assensus.*

66. *Prædicatum sunt promissiones, eaq; evangelicæ, de merito & satisfactione Christi, quas solas intuetur fides in actu justificationis: quamvis & alias circa reliquas tum promissiones, tum comminationes; imo omnia, quæ ad fidem & ad mores in scriptura proponuntur, versetur.*

67. *Argumenta pro nostra sententia sint hæc triplicia: testimonia scripturæ: dicta Patrum: & rationes. Testimonia scripturæ de pluribus referemus pauca: Genes. 3. v. 15. Semen mulieris conteret caput serpentis. cap. 12. vers. 8. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ: quod quomodo impletum sit, explicat apostolus, Galat. 3. v. 13.*

Christus redemit nos à maledictione legis, dum pro nobis factus est maledictio. scriptum est enim: Maledictus omnis, qui pendet in ligno, ut in gentes benedictio Abrahæ promissa veniret per Jesum Christum, & ut promissionem spiritus acciperemus per fidem. Psalm 40. v. 8. Heb. 10. v. 7. In capite libri scriptum est de me. Esaie 53 v. 11. Cognitione sui justificabit justus servus meus multos. Lucæ 24. v. 22. & seqq. O stulti & tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti sunt propheta: nonne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam? & exorsus à Mose & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de se scripta erant. Johan. 5. v. 38. Scrutamini scripturas, quoniam ipsi videmini vobis in ipsis habere vitam æternam, & ipse sunt, quæ testimonium perhibent de me. cap. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, ut agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. cap. 20. v. 31. Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Jesus est Christus, filius Dei vivi, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius. Actor. 4. v. 12. Non est aliud nomen sub cælo, quo salvari possimus, nisi nomen Jesu. cap. 10. v. 43. Huic testimonium perhibent omnes propheta, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Roman. 10. v. 4. Christus est finis legis. 1. Corinth. 1. v. 30. Christus factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, & redemptio.

68. Consensum antiquitatis ex uno Augustino ostendam. Is lib. 3. de Trinit. cap. 20. ait: Fides ad beatitudinem consequendam necessaria in Christo definita est, qui in carne resurrexit à mortuis. non enim nisi per illum liberabitur quisquam à Diaboli dominatu per remissionem peccatorum. Idem in Psal 42. Noli iudicio cum Deo contendere: da operam esse justus, & quantumcunq; fueris, confitere te peccatorem. Semper spera misericordiam, & ista humili confessione securus alloquere turbantem te, & tumultuantem adversus te animam tuam: ut quid tristis es anima mea? spera in Dominum, noli in te? quid es de te? ille sit sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te. Idem in manuali, cap. 22. Tota spes mea est in morte domini mei. mors ejus meritum meum & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea: meritum meum miseratio Domini. Alia aliorum & hujus si quis requirit, inveniet in 1 parte examinis Concilij Tridentini, pag. 141.

69. Rationes sint hæc: Prima: Illud est objectum fidei justificantis
prima

primarium, quod scriptura in articulo justificationis urget. At scriptura Christum, & in eo promissam misericordiam urget, in articulo justificationis. vide, prater superiora, Johan. 3. v. 16. Roman. 3. v. 24. & seqq. cap. 4. v. 24. 25. Galat. 2. v. 16. cap. 3. v. 13. 14. Ephes. 2. v. 5. & seqq. 1. Timoth. 1. v. 15. Tit. 3. v. 5. 6. 7. Johan. 1. v. 7. E. Christus est objectum fidei justificantis.

70. Secunda: Quod objectum fuit fidei justificantis patrum, & in primis fidei Abrahami, idem est nostrum. una enim & eadem fide justificamur, Actor. 15. v. 11. & eadem fides est specie, non numero & individuo, Abrahami patris credentium, quae posterorum, Roman. 4. v. 23. & seqq. At objectum fidei patrum, & in primis Abrahami fuit sanguis Christi, Roman. 3. v. 25. mors & resurrectio ejusdem, cap. 4. v. ult. E. & nostra.

71. Tertia: Aut lex sola, aut evangelium, aut utraq; conjunctim sunt objectum fidei justificantis. Non primum, aut tertium: ita enim vel sola lege, vel lege & evangelio conjunctim justificaremur: quod utrumq; negat apostolus, partim ad Rom. cap. 3. v. 20. & seqq. partim ad Gal. cap. 2. v. 16. cap. 5. v. 3. 4. E. intermedium.

II. CAPUT,

Exhibens *τρεῖς ἀντιθέσεις* tria.

THESIS I.

Expositis haecenus, quae ad theoriam sive ad naturam & definitionem fidei cognoscendam pertinent, proximum est, ut quaedam in medium afferamus, quae ad praxin & usum dictorum magis spectent: cujus generis tria hoc tempore proponemus. I. Quaest. An unusquisq; Christianae doctrinae capitum gnarus, seipsum explorando cognoscere & scire possit, num habeat fidem veram & justificantem? Resp. Nos affirmamus: Calvinianorum sententia non videtur esse una & eadem. Petrus Martyr in L. C. classe 3. loco 2. §. 6. Zanchius lib. 5. de attributis Dei, cap. 2. pag. 624. Rollocus in tractatu de vocatione efficaci, pag. 194. Polanus lib. 9. syntagm. cap. 6. dum certas notas ponunt, ex quibus unusquisq; possit deprehendere, an veram fidem habeat, apparent nobiscum in hac quaestione consentire: alij distinguunt, nam

de

de electis jam regeneratis concedunt: de temporarijs negant, sed pars eorum obscurius, pars clarius.

2. Ex priori ordine est Calvinus, qui lib. 3. institut. c. 2. §. 10. de temporarijs ita scribit: Eodem modo (quo Simon magus, evangelij majestate victus, qualemcumq; fidem adhibuit, atq; ita Christum vitæ & salutis auctorem agnovit, ut libenter illi nomen daret: quod tamen Beza negavit in colloq. Mompelg. pag. 379. Witeb. edit. pag. 462. Tubing.) credere ad tempus dicuntur in evangelio Lucæ, in quibus verbi semen, antequam fructificet, præfocatur: aut etiam nullis actis radicibus crescit mox & deperit. Tales non dubitamus quodam verbi gustu affectos ipsum avidè arripere, & divinam ejus virtutem persentiscere: ut fallaci fidei simulatione non hominum oculis modò imponant, sed suis ipsorum animis. Et paulò post ibid. Tot vanitatis recessus habet, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisis obtectum est, ut seipsum sæpe fallat. Similia hisce dicit §. 11. quæ suprâ thesi 47. allegavimus, & hæc repetita volumus. Nec dissimilia sunt, quæ §. 12. habentur his verbis: His quidem constat, quosdam non simulare fidem, qui tamen vera fide carent: sed dum subito zeli impetu feruntur, seipsos falsa opinione decipiunt. Haut scio tamen, an cum his benè concordent, quæ ibidem immediate subjungit in hunc modum: Nec dubium est, quin ipsos occupet socordia, ne cor suum probè, ut par erat, examinent: in quibus socordia temporariorum tribuit, quò minus seipsos examinando cognoscant, veram an hypocriticam fidem habeant: cum §. 10. asserat, eos suis ipsorum animis, non modò oculis aliorum imponere, §. 11. experientia teste, interdum simili ferè sensu atq; electos affici, ut ne suo quidem judicio quicquam ab electis differant: nisi fortè putet, hoc judicium ipsorum esse factum citra exactam sui ipsorum excussionem & examen. à qua sententia ne planè quis abhorreat, facere potest charitas, omnia ambiguè dicta in meliorem partem accipiens: sed interim eidem vellicare debet aurem prudentia, non temerè fidem assertioni cujusq; adhibendam monens, quæ secum pugnare, ut hæc ipsa, videntur. nam quod in progressu ibid. §. 12. de examine agens, per quod non socordes deprehendant, veram & vivam fidem num habeant, an hypocriticam, & mortuam, scribit, Christum Job. 8. v. 31 compellare eos, qui amplexi erant ejus doctrinam, & hortari ad profectum fidei, ne torpore suo lu-

men

men, quod datum est, extinguant: id male congruere videtur cum eo, quod §. 11. non longè à fine habetur, reprobos (temporarios) non ejusdem vel fidei vel regenerationis participes fieri cum filijs Dei: (sive electis) sed tantum videri commune cum illis fidei principium habere, sub integumento hypocriseos: & quod initio ejusdem §. scribitur, in fidem non illuminari, nec evangelij efficaciam verè sentire, nisi qui præordinati sunt ad salutem. si enim Christus hortatur temporarios ad profectum fidei temporaria, sive communis, à qua multi excidunt: eaq; non est vera & viva; hortatur eosdem ad profectum fidei, nec vera, nec viva: quod est impium & absurdum. Adde, quod vera & viva, semel data, est perpetua, ex sententia adversariorum, adeò ut nec secundis, nec adversis totaliter extinguatur, imò nec peccatis regnantibus amittatur. quæ autem talis est, ea torpore & socordia nostra minimè perire potest, uti nec studium nostrum & vigilantia nostra, ad cavenda ea, quibus debilitetur, vel extinguatur: cum ortus ejus & perseverantia sint ex immutabili & decreto electionis absoluta.

3. Ex posteriori genere est D. Zacharias Ursinus, qui in explanationibus catecheticis, pag. 148 edit. Neustadiensis, 1598. ita scribit: Quid sit autem fides justificans, nemo verè intelligit, nisi qui credit, seu qui eam habet: sicut qui nunquam vidit & gustavit mel, non intelligit, quis sit ejus sapor, etsi multa ei de mellis dulcedine & suavitate dicas: quæ de intellectu, sive notitia intuitiva & experimentalis, (ut ita loquamur) rerum singularium vera esse concedimus: non de abstractiva universalium. sic εἰρηνὴ τοῦ θεοῦ, τῆς τρυφῆς nemo verè intelligit experimentalis notitia, nisi qui liberos suscepit: interim nihil prohibet, quò minus ex doctrina physicorum, & consideratione effectuum in exemplis, tam irrationalium, quàm ratione præditorum, animalium, de hujus affectus natura & vi non parum alij assequantur. similis est ratio filialis amoris & timoris Dei: item, vocationis divina interioris in omni officiorum genere: cujus naturam & essentiam aequè cognoscere possunt ex definitione, qui ea præditi, & qui ea destituti: hi verò ejus efficaciam in se sentire non possunt, quam illi soli percipiunt. Et hoc ipsum videtur intellexisse eo loco D. Ursinus, qui loco allegato dictis statim subjicit sex ἡρώδησιν sive notas, quas quisq; credens in se reperit, & quas alijs explicare potest: I. Credit vera & divina esse omnia, quæ in scriptura continentur. II. Sentit se obligari ad ea fir-

E

miter

miter credenda & amplectenda: quia sunt divina. III. Praecipue in-
tuetur, amplectitur, & sibi applicat promissionem gratiae seu de gratu-
ta remissione peccatorum, justitiae, & vita aeterna, Job. 3. v. 36. IV. Hac
fretus fiducia firmiter acquiescit in presenti gratia Dei, & ex ea sic con-
cludit de futura: Cum jam me amet Deus, & mihi det tanta bona,
etiam amabit me in aeternum: quia est immutabilis, & dona ejus sunt
absq; poenitentia. (Confer finem thes. 47. cap. 1. hujus disputatio-
nis, & vide, an hæc D. Ursini sententia cum Calvini opinione con-
sentiatur.) V. Sequitur letitia in corde de his bonis, & pax conscientiae o-
mnem humanum intellectum superans. VI. Habet voluntatem & se-
rium studium obediendi Deo, sine exceptione, in omnibus faciendis aut
patiendis, quæ Deus jubet. facit igitur homo præditus fide justificante of-
ficiam, mundo & diabolo reluctantibus. Hæc, qui verè credit, in se sen-
tit: & qui in se sentit, verè credit. Hæc D. Ursinus: ex cujus verbis
postremis apparet, eum de intellecta & notitia fidei experimentalis suam
negationem intellexisse, non de simplici notitia.

4. Hucusq; sententiam adversariorum partim obscuram, partim
ambiguam illustrare & explicare animus fuit: nunc ut nostra recte ac-
cipiatur, opus est, ut terminos simplices declaremus. Subiectum est
omnis homo Christianus, sive re ipsa, sive secundum externam speciem
tantum: quo posteriori in ordine sunt omnes, qui visibilis ecclesiae mem-
bra sunt, sicut in priori omnes, qui invisibilis simul. Hæc ut intelli-
possint, necesse est perlustrari omnia hominum genera in ecclesia aspecta-
bili versantium. Eorum quatuor constituemus: primum eorum, qui
corpore tantum, & in externo Dei cultu se verè fidelibus adjungunt,
ignari capitum doctrinae Christianae, & proinde etiam assensu explicito
& fiducia in Christum, hujusq; effectibus & fructibus destituti. secun-
dum eorum, qui etiam mente, non corde accedunt: h. e. qui & norunt
doctrinam Christianam, eiq; tanquam divina, assentiuntur: nam qui
eam non amplectuntur, sed vel in uno, vel in aliquibus, vel in omnibus
dissentiant pertinaciter, tanquam heretici manifesti, aut ethnici, ad
ecclesiam non pertinent: de occultis autem ipsa non judicat. tertium
eorum, qui etiam corde, & vera in Deum fiducia sincerè se associant,
saltem ad tempus. quartum eorum, qui in hac fide usq; ad finem vitæ,
sive citra interruptionem, sive non citra eam, sed per poenitentiam re-
deundo, perseverant.

5. Deter-

5. Determinatio subiecti dum notitiam capitum doctrine Christianae requirit, primum genus excludit, reliqua omnia includit.

6. Prædicatum est, cognoscere & scire posse, num habeat fidem veram & justificantem: ubi duo opus est explicari, quæ, quod antè dicta ostendunt, nonnihil ambiguitatis & obscuritatis habent. Unum est de scientia sive notitia rei vera & certa, opposita opinioni falsa & incerta: qualis est delusio temporariorum, umbra fidei & fallaci ejus simulatione, ut loquitur Calvinus, non hominum aliorum oculis modo imponentium, sed suis ipsorum animis: vera autem & certa hæc intelligitur, qualis est definitionum & demonstrationum, si non à priori, saltem à posteriori. Alterum est de fide vera & justificante: per quam quid intelligamus, oppositum ejus indicat, fides hypocritica, & proinde non justificans: quæ tamen hypocrisis neg, de re, h. e. vel de assensu, vel de fiducia, neg, de personæ animo, propriè & principaliter intelligenda est, sed de causis impulsivis ad credendum, quæ non sunt veræ & sinceræ, nempe, novitas evangelij, licentia peccandi, amor divitiarum, honorum, aliorumq; hujus vitæ compendiorum. (vide cap. hujus disp. prius, thesi 49. sub finem.)

7. Determinatio prædicati ostendit modum & medium, per quod pervenire possit unusquisq; gnarus capitum doctrine Christianæ, in notitiam certam de sua fide: ubi iterum inculcamus, non intelligi experimentalem intuitivæ similem, sed abstractivam. illud est exploratio sui ipsius, vel ad normam definitionis fidei, vel ad signa minimè fallentia, & effecta ejusdem necessaria. cui enim congruit definitio, eidem & definitum: & in quo sunt effecta causæ alicujus propria & necessaria, ibidem esse causam illam certum est.

8. Argumenta pro nostra sententia erunt partim scripturæ testimonia, partim sententiæ Augustini, partim ratio. Scripturæ testimonia sunt hortatio apostoli, 2. Corinth. 13. v. 5. Tentate vosmet ipsos, an sitis in fide: & exemplum ejusdem, 2. Timoth. 1. v. 12. Scio cui credidi, & persuasum est mihi, eum posse depositum meum in illum diem servare: cujus fiduciæ suæ quanta fuerit certitudo, constat ex Roman. 8. v. 38. & 39: quam ne quis cum Bellarm. lib. 1. cap. 10. ex singulari revelatione, non ex verbo Dei, fuisse opinetur, adjungi huic argumento potest universalis experientia omnium verè piorum, qui se probare possunt, & solent, an sint in fide, & hoc examine certiores facti de a-

E s

doptio

doptione sui in filios Dei, spe certa sustentantur in adversis, nec defatigantur in amore Dei & proximi, alijsq; cognatis virtutibus, quibus se esse, quod audiunt, declarant.

8. Sententiæ Augustini sint hæ: Lib. XIII. de Trinitate, cap. 1. Fidem, quam videt quisq; in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit, aliter novimus: non sicut corpora, quæ videmus oculis corporeis, nec sicut ea, quæ non vidimus, ex ijs tamen, quæ videmus, cogitatione utcumq; formamus: nec sicut videmus hominem vivum, cujus animam etiamsi non videmus, ex nostra conijcimus. non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo, cujus est, sed eam tenet certissima scientia clamatq; conscientia. T. 2. epist. 112. cap. 3. Scientia menti tribuitur, sive per corporis sensus, sive per ipsam animum aliquid perceptum cognitumq; retineat, & fides ipsa mente utiq; videtur, quamvis hoc fide credatur, quod non videtur. *Ibidem, interjectis nonnullis, ita scribit: Videt (homo credens) ipsam fidem suam, qua se credere sine cunctatione respondet: videt cogitationem, qua cogitat, quid ei possit prodesse, quod credit: videt voluntatem, qua accessit ad suscipiendam religionem: videt etiam ipsius resurrectionis quandam imaginem in animo suo factam, sine qua intelligi non potest, quicquid factum corporaliter dicitur, sive credatur, sive non credatur.*

9. Rationes sint duæ: una διδασκαλική: Omnis habitus, sive infusus, sive acquisiti, certa per explorationem diligentem ejus, qui intelligit rationem explorandi, notitia datur possidenti. Fides est habitus à Deo infusus. E. ejus certa per explorationem diligentem ejus, qui rationem intelligit explorandi, datur possidenti. Altera απευρωγική: Scriptura tradit normam sufficientem omnium credendorum & faciendorum. Scriptura non tradit rationem sufficientem explorandi seipsum in fide. E. sufficiens explorandi seipsum ratio, num quis sit in fide, est ex ijs, quæ non pertinent ad normam credendorum & faciendorum. Conclusio est omnino falsa & absurda: & proinde minor, ex qua fluit, itidem falsa & absurda.

10. Proximum est, ut videamus, quo medio certus fieri doctrinæ Christianæ peritus possit, se habere fidem veram & justificantem. erit proinde in hoc capite II. Quæst. An certò uniuscujusq; fides probari & explorari possit quovis tempore internis tantum Spiritus Sancti motibus, an etiam opus sit, contra tentationes de particularitate, verbo

de prompta ex pharetra & armamentario decreti absoluti, quo Deus ab aeterno elegerit partem minimam hominum, quos paterno amore complexus sit, & heredes vitae aeternae constituerit: quibus solis redimendis miserit filium, quem pro eorum peccatis expiandis in mortem tradiderit: quibus efficaciter vocandis destinaverit Spiritum Sanctum, qui in eis veram & justificantem fidem accendat, eamque etiam, cum in peccata regnantia prolabantur, perpetuo conserpet: reliqua, eaque maxima, parte hominum reprobata. De hac ad exitium & damnationem aeternam destinata turba cum homo sibi metuit, ne & ipse sit unus, propterea quod fide vera se destitutum suspicatur, cujus *ἐνσπυριαν* sive operationum ad intra & ad extra evidentiam in se non sentit: periculosam hanc sollicitudinem & metum ejus tentationes de particularitate vulgata loquendi ratione nominamus.

18. Verbo intelligimus promissiones Evangelij, de universali Dei patris amore erga omnes & singulos homines, de universali merito filij Dei, de universali gratia Spiritus Sancti, omnes per predicationem gratia in evangelio revelata vocantis, & convertere, conversosque ad salutem custodire verè & seriò volentis.

19. Sacramentorum nomine duo intelligimus, quae in N. T. abrogatis V. T. successerunt, baptismum & coenam: quorum alterum initiationis, alterum confirmationis vulgò nominatur: quod ut illud est lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, Tit. 3. v. 5. ita hoc est pabulum & alimentum hominis credentis, quo ejus fides in remissionem peccatorum pascitur & alitur sumpto corpore & sanguine Christi, ad jugem passionis & mortis Dominicae commemorationem & annunciationem, 1. Corinth. 11. v. 25. 26.

20. Hisce duobus postremis medijs, non minùs, quàm illo priorè utendum esse, cum in nobismetipsis explorandis, tum in alijs tentatione de particularitate dejectis erigendis & consolandis, ostendemus partim *κατασκευαστικῶς*, partim *ἀνασκευαστικῶς*.

21. *Κατασκευαστικῶς* argumentum sit ejusmodi: Quae arma ostendit ipsa eorum *ἰσχυρία* sive consideratio accuratior, & comprobata universa omnium piorum *πρώξις* esse validissima contra tentationes de particularitate, quibus imprimis impeti solent de veritate suae fidei dubitantes, ea sunt ad explorandam propriam uniuscujusque fidem, & ad
tenta-

tentatos de particularitate consolandos aptissima & necessaria. At promissiones Dei universales in verbo evangelij & sacramentis propositas esse validissima, contra tentationes de particularitate, arma ostendit & Jacobi & reg. 15. illa enim docet, partim velle Deum omnium misereri, nullis absoluto odio rejectis, omnium liberandorum & salvandorum causa misisse filium, omnium ad hanc gratiam in filio oblatam, amplectendam per fidem, vocandorum & per Spiritum S. convertendorum gratia predicari jussisse evangelium: a qua universalitate nemo cum sit exclusus, tentationibus de particularitate superandis aptissima est talium promissionum meditatio: partim posse & solere ordinariè per hæc duo media fidem accendere, & accensam conservare: hæc vero comprobatur ipsdem efficaciter & salutariter usos fuisse pios quoscung, cum in alijs, tum in hac, de particularitate, sive de abiectione à conspectu Dei, tentatione: quod evincunt exempla Abrahami, Genes. 22. v. 8. Rom. 4. v. 20. 21. Isaaci, Gen. 26. v. 2. & seqq. Jacobi, Gen. 32. v. 9. & seqq. Moysi, Exodi 32. v. 13. Jonathanis, 1. Samuel. 14. v. 6. Davidis, ibid. cap. 17. v. 26. & 36. Psal. 62. v. 12. 13. Asaphi, Psal. 73. v. 17. & Psal. 77. v. 12. & 13. Habacuc cap. 3. v. 17. 18. Apostolorum, Act. 4. v. 24. & seqq. E. hæc arma ad explorandam propriam uniuscujusq, fidem, & ad tentatos de particularitate consolandos aptissima sunt & necessaria.

22. *Αὐτὸ καὶ τὸ αὐτὸ* sit tale: Nulla probatio fidei aliquando dubia & nobis incerta, potest esse perpetuò certa: & nulla consolatio ex fundamento, quod interdum fallit, potest semper esse efficax. hæc enim imitatur illius naturam & conditionem: quæ si est perpetuæ aut non perpetuæ firmitatis, etiam ipsa talis est: & pugnantia, imo contradictoria sunt, esse aliquando incertum, & tamen perpetuò certum. At fidei, per quam sumus filij Dei, Gal. 3. v. 26. & adoptionis nostri sensus, sive testimonium Spiritus Sancti internum est aliquando nobis dubium & incertum, ut constat exemplis verè piorum & Dei filiorum, Psal. 31. v. 23. Psal. 73. v. 2. & seqq. Psal. 77. v. 11. E. probatio fidei ex eo non potest perpetuò esse certa: nec consolatio tentatis de particularitate potest ex eodem peti aut dari semper efficax.

23. Superest, ut disquiramus de fidei veræ & sinceræ, semel datæ, perseverantia: de qua ut controversiam scitu valde necessariam in praxi quotidiana tangamus, erit in hoc capite III. Quest. Utrum sancti fidem veram & integram penitus amittere possunt? Resp. Nos affirmamus.

namus: Calviniani negant, sed non eodem sensu, ut in sequentibus docebitur.

24. *Subiectum est sancti: quæ vox, uti ejus abstractum, ambigua est. alia enim est sanctitas vocatorum sive in visibili ecclesia versantium, alia renatorum per vocationem, sive aggregatorum ad invisibilem ecclesiam: quorum pars, quæ non perseverat, renati, pars, quæ perseverat, electi appellantur à nobis. utrosq; posteriores hinc comprehendimus: adversarij verò licet solos electos renasci dicant, temporarios tamen gradibus aliquot regenerationis divinitus donari concedunt. (vide Calvinum lib. 3. institut. cap. 2. §. 10. 11. 12. Bezam in notis Galat. 5. v. 4. Crocium de perseverantia sanctorum, lib. 3. cap. 7. & alibi, ubi de conversione & regeneratione duplici, utraq; vera, sed gradibus tantùm differente, agit.)*

25. *Prædicatum est, fidem veram & integram penitus amittere posse: cujus singule voces, ad cavendam ambiguitatem, sunt declaranda. Fidem hinc intelligimus eam, de cujus definitione & essentia ante egimus: quam nota duplici circumscripsimus: una, quod fides hinc intelligitur vera, ad excludendam hypocriticam, sive quod ad rem, sive quod ad causam. (vide cap. 1. thesi 49.) Eadem alias dici solet viva, propter fructus, quos edit: cujus oppositum est fides mortua, quæ est habentium speciem pietatis, cujus vim abnegant, 2. Timoth. 3. v. 5. Tit. 1. v. 16. Jacob. 2. v. 14. & seqq. Altera, quod sit integra, ad removendum ab hac controversia fidei vera principium. (ut loquitur Calvinus lib. 3. c. 2. §. 11.) seu initium aliquod & rudimentum regenerationis, (Crocium de persever. sanct. lib. 3. cap. 3. pag. 191. post. edit. utriq; contradicit Rollocus, tract. de vocat. efficaci, pag. 191. qui partes totidem in temporariorum fide agnoscit, quot in justificante: & tantum sinceritate, soliditate, & duratione inter se differre vult, ut in priore hujus disputationis capite vidimus.)*

26. *Hæc vera, viva, & integra fides cum considerari possit, vel ut habitus à Deo infusus, quod semen fidei appellant nonnulli, ex 1. Job. 3. v. 9. vel ut actus, (Zanchius miscellan. parte 1. pag. 441. a. & b.) de priori esse controversiam, non de posteriori alij volunt: (vide Zanch. ibid. & pag. 448. & pag. 76. Pareum lib. 1. contra Bell. de justif. cap. 10. pag. 164. & lib. 3. cap. 14. pag. 874. Hubertum Sturmium in diatriba, pag. 138. editionis iteratæ.) alij tamen actualem fiduciam*

tan-

tantummodo minui, non prorsus amitti posse dicunt. (vide Bezam parte 2. resp. ad colloq. Mompelg. pag. 68. Zanchium parte 1. miscell. pag. 119. & pag. 448. Pezelium in examine dñ. Philippi, parte 1. pag. 471. Trelcatium lib. 3. institut. in loco de fide, pag. 184. edit. Lugd. in 4. Bucanum in institutionibus, loco 29. quæst. 27.)

27. *Possedeniq; amittere, & revera amittere, inter se differunt, ut ipsa verborum diversitas satis indicat. Adversarij dum negant, verè fideles, quos ijdem solos electos esse volunt, unquam posse amittere fidem, gratiam Dei, & Spiritum S. respiciunt ad propositum electionis divinum, quod fingunt absolutum, secundum quod eos Deus vocarit, fide donarit, justificaverit: id quia excidere in electis nequeat, etiam fidem amitti posse negant: quod nos secundum propositum ordinatum de finali amissione, non de totali, concedimus, de qua, quod ad electos, tantum est quæstio: interim quod ad ipsos etiam electos, sibi relictos, ne ad momentum quidem adversus sathanae, mundi, carnisq; insidias, eos subsistere & fidem retinere posse statuunt: id quod est extra hanc quæstionem.*

28. *Amisio autem, ut ex dictis patet, aut est totalis, aut finalis. utraq; asseritur à nobis de renatis: prior, non posterior, de electis. Calviniani nullos verè renatos, nisi electos, agnoscunt, etsi temporarij alij veræ fidei initium & aliquot gradus, alij omnes partes concedunt: ut ante ex ipsorum scriptis ostendimus: electos verò actum fidei (qui est acceptio & applicatio meriti Christi, & actus solius fidei proprius, adeoq; ipsa fides justificans, ut loquitur D. Zacharias Ursinus in admonitione de libro concordia, quæ sub nomine theologorum Neostadiensium edita est, pag. 327.) penitus sive totaliter amittere ajunt, remanente in eisdem fidei habitu sive semine, quod in actum fiducia novum denuò excitetur nova verbi prædicatione & sacramentorum administratione, alijsq; medijs, ut loquitur D. Zanchius part. 1. Miscellan. pag. 76. in quo tamen alij ab eo dissentiunt, ut in thesi 26. indicavimus.*

29. *Argumenta itaq; nostra in duo velut agmina distribuemus: quorum uno ostendere conabimur, habitum illum fidei, quem remanere in peccantibus adversarij dicunt, non esse veram fidem: altero, actum fidei veræ & justificantis in electis, contra conscientiam in peccata regnantia lapsis, amitti totaliter, & in renatis nonnullis, quos temporarios appellamus, finaliter. Utriusq; agminis erunt tres ordines: primus ex*

F

scri-

scriptura: secundus ex antiquitate, tertius ex ratione, quæ tamen principijs scripturæ nitatur.

30. Contra eos igitur, qui habitum fidei, sed otiosum, hoc est, citra operationes ad intra & ad extra, in electis, actu amisso, remanere statuunt, valent eadem argumenta, quæ mortuæ fidei opponuntur. Ex scriptura sint hæc testimonia: Habac. 2. v. 4. Rom. 1. v. 17. Gal. 3. v. 11. Hebr. 10. v. 38. *Justus ex fide vivit. Gal. 5. v. 6. In Christo Jესu neq; circumcisio quicquam valet, neq; præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Jacob. 2. v. 14. Quæ est utilitas, fratres mei, si quis dicat se fidem habere, opera autem non habet, numquid potest ista fides eum salvare?*

31. Ex antiquitate satis sit unicum Augustini locum produxisse. is existat lib. de fide & operibus, cap. 14. his verbis: Quamvis ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ apostolicæ epistolæ Petri, Johannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut eam ipse Paulus non quamlibet, fidem, quæ in Deum creditur, sed etiam salubrem, planeq; evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur.

32. Rationes sive probationes, syllogistico discursu conclusæ, sint hæc: Prima: *Omnis vera fides nititur Dei promissione & verbo, Rom. 10. v. 17. Fides illa adversariorum habitualis, in peccato regnanti remanens, post amissum actum, non nititur verbo & promissione Dei: ut paulo ante ostensum: & patet id ipsum ex consequenti, omnes enim sancti gravissimè peccantes sunt obnoxij æternæ damnationi, ut ex scriptura nobiscum agnoscunt, Zanchius, miscellan. parte 1. pag. 194. a. Pareus, lib. 1. de justificatione, cap. 3. pag. 54. Crocius, de perseverantia sanctorum, lib. 1. cap. 3. pag. 54: quod de nemine veram fidem retinente affirmari potest. E. fides illa habitualis adversariorum in peccato regnanti remanens non est vera fides.*

33. Secunda: *Ubi est vera fides, ibi non est servilis timor. In graviter lapsis est servilis timor: quod colligi potest ex protoplastorum exemplo, Gen. 3. v. 8. & 10. E. non est vera fides.*

34. Tertia: *Vera fides salvat. Fides illa habitualis in graviter lapsis, post actum reliqua, non salvat, teste Beza parte 2. respons. ad colloq. Mompelg. pag. 74. ubi ita scribit: Et tamen verum est, Davidem periturum fuisse, nisi reliquisset. E. non est vera fides.*

35. Con-

35. Contra alios verò, qui actum fidei veræ & justificantis remanere in peccantibus contra conscientiam pugnant, quamvis eundem minui largiantur, militant testimonia scripturæ, cum ea, que docent gratiam & fidem datam posse amitti, tum ea, que peccatis regnantibus illam excuti docent. Prioris generis sunt: Rom. 11. v. 20. Propter incredulitatem defracti sunt: tu autem fide stas. ibid. v. 22. Vide benignitatem & præcisam severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, præcisam severitatem: in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate: alioqui & tu excideris. 1. Cor. 10. v. 12. Qui stat, videat ne cadat. 2. Cor. 6. v. 1. Sed etiam ut operam nostram ei accommodantes, hortamur, ne frustra gratiam Dei receperitis. Heb. 3. v. 12. & 14. Videte fratres, ne quando sit in ullo vestrum cor malum, incredulum, desciscendo à Deo vivo. participes enim facti sumus Christi, si modo principium illud, quo sustentamur, usq; ad finem firmum retinuerimus. 2. Petri 2. v. 20. 21. 22. Si postquam pollutiones mundi per agnitionem Domini & Salvatoris J. C. effugerint, his rursus implicati superentur, facta est ultima eorum conditio deterior priore. melius enim fuisset eis non cognovisse viam justitiæ, quam, cognita illa, regredi à sancto præcepto sibi tradito. sed accidit eis, quod vero proverbio dici solet, Canis reversus est ad suum ipsius vomitum: & Sus lota ad volutabrum cæni.

26. Posterioris generis sunt: Rom. 8. v. 13. Si secundum carnem dixeritis, moriemini. 1. Cor. 6. v. 9. 10. Nec scortatores, nec idololatræ, nec mæchi, neq; molles, neq; qui concumbunt cum masculis, neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; conviviatores, neq; rapaces, regni Dei hereditatem possidebunt. Similes loci exstant Galat. 5. v. 19. & seqq. Ephes. 5. v. 5. 6. Coloss. 3. v. 5. 6: 1. Tim. 4. v. 1. In noviss. diebus quidam deficient à fide, attendentes spiritibus seductoibus. ibid. cap. 6. v. 10. Avaritia est radix omnium malorum: quam quidam appetentes erraverunt à fide. 2. Petri 1. v. 9. Cui hæc non adsunt, cæcus est nihil eminus cernens, oblitus sese à veteribus suis peccatis fuisse purgatum.

37. Ex antiquitate aliquot Augustini & Prosperi Aquitanici loca referemus. Augustinus libro 1. de bono perseverantiæ, cap. 17. Quod, inquit, vitio suo quisq; deserat fidem, cum cedit têtationi atq; consentit, qua cum illo agitur, ut deserat fidem, quis negat? ibid. cap. 22. Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt: nec usq; in finem in eadem obedientia permanebunt. Idem de corrept. & gratia, cap. 7. Horum (electorum)

F 2

fides,

fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita ista finiatur, & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate usq; in finem perseverantia deputatur. Prosper Aquitanicus *lib. 2. de vocatione gentium, cap. 9.* (*alij hosce tres libros Ambrosio, tribuunt: qua de caussa etiam ab Erasmo statim ab initio tomi secundi operum ejus collocantur: sed ab eodem in proemio ad lectorem alterius, quam Ambrosij, ex phraseos dissimilitudine censentur.*) Qui ergo, ait, veniunt, amore ducuntur, dilecti enim sunt, & dilexerunt: quæsi sunt & quæsierunt: & quod eos voluit Deus velle, voluerunt: qui ad obediendum sibi ipsam velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat. alioquin nemo fidelium recessisset à fide. *Ibidem non longè post commemorata:* Sed hæc stabilitas illius tantummodo propria fuit, qui solus verè potenterq; dicebat: Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo iterum sumere eam. In ceteris verò hominibus, donec caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi firmitudo non potest reperiri: quoniam non hujus, sed alterius vitæ est verè perfecta & secura felicitas: in præsentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, & ab insidiantis superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usq; in finem divina protectio, à nullis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studijs eorum atq; conatibus semper inter se velle & nolle decertet.

38. Rationes prioris ordinis *sint hæc*: Prima: *Qui redire in Diaboli potestatem, compingi in carcerem, ex quo liberati erant, excindi prorsus & condemnari possunt; eos Dei gratiam excutere, Spiritum S. & fidem amittere posse certum est. De renatis verè fidelibus & justificatis prius est verum: ut constat ex Luca 11. v. 24. Matth. 18. v. 32. Rom. 11. v. 20. & 22. E. de iisdem etiam posterius.*

39. Secunda: *Si amitti gratia Dei, Spiritus S. & fides non possunt, inanis est & planè frustranea admonitio apostoli ad renatos, ut videant, ne in vanum acceperint gratiam, ut probent se, num sint in fide: similiter & conditio de renatis sistendis in conspectu Dei inculpatis, si modò fundati & stabiles manebunt in fide, nec dimoveantur à spe evangelij.*

rerum

rerum enim impossibilium nulla est conditio, nulla cautio, nulla exploratio necessaria. At non hoc. E. nec illud.

40. Tertia: *Si fides, gratia Dei, & Spiritus S. amitti nequeunt à renatis, frustra eorum retinendorum media, verbi divini auscultatio & meditatio, & legitimus sacramentorum usus, est præceptus, frustra ira & pena divina comminatio denunciatur. Non hoc. E. nec illud.*

41. Posterioris ordinis hæ: Prima: *Contraria contrarijs pelluntur. Peccata omnia, maxime atrocia, contraria sunt Spiritui S. gratiæ Dei, & fidei. E. his pelluntur. Majorem & minorem concedit Zanchius pag. 206. in principio cap. III. de perseverantia sanctorum: vide etiam Huberti Sturmij diatribam, pag. 139. qui ex præceptore suo idem repetit.*

42. Secunda: *Nulli renatorum damnantur, nisi qui excusserunt Spiritum Sanctum, amiserunt gratiam Dei, & fidem. Multi renatorum damnantur. E. hi ipsi excusserunt Spiritum Sanctum, amiserunt gratiam Dei & fidem. Assumptio probatur ita: Multi baptisati damnantur. Omnes baptisati sunt renati. E. multi renati damnantur. Quod verò hujus prosyllogismi minorem negant adversarij, qui electos tantummodo renasci volunt, in eo contradicunt apostolo, Roman. 6. v. 4. Galat. 3. v. 27.*

43. Tertia: *Si peccatis mortalibus & contra conscientiam non excutitur gratia Dei, Spiritus Sanctus, & fides, Deus non irascitur illis, non odit ea. At falsum est posterius: quia contrarij assertio non modo repugnat naturæ Dei, in lege revelatæ, sed etiam aperit fenestram ad quorumvis scelerum licentiam. E. & prius.*

Deum opt. max. toto pectore rogamus, per filium unigenitum, Dominum nostrum, Jesum Christum, ut donet nobis depositum verbi sui, tanquam lucernæ lucentis in tenebricoso loco, servare, & averfari profanos illos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsò nominatæ scientiæ, 1. Tim. 6. v. 20. largiatur gratiam, ut attendamus illi, usq; dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus nostris, 2. Petri 1. v. 19. ipse perficiat bonum opus, quod in nobis capit, Philipp. 1. v. 6. perficiat nos, stabiliat, roboret, fundet, 1. Petri 5. v. 10: ipsi gloria & robur in secula seculorum, Amen.

Corollaria de S. S. ministerio.

1. Cum nemo sibi quicquam sumere possit, nisi ei datum sit à Deo, & multi ecclesiarum destituantur dono vocationis interioris; quæritur, an nihilominus ministerium, ad quod missio sive vocatio interior imprimis requiritur, sumere & administrare possint? Resp: Distinguimus.

2. An electio & vocatio exterior mediata, quæ fit, vel corruptis, vel expugnatis eligentium & vocantium animis, sit libera & legitima? Resp. negamus.

3. An, propositis duobus pluribusve vocandis, eum præferri justum sit, qui in conditionem vocationi annexam, deducenda vidua, filia, cognata, affine, aliave prior est, ceteris, qui doctrina, vitæ integritate, & donis procul illum superant? Resp. neg.

4. An, qui vulgari examine in notitiam capitum doctrinæ Christianæ, in donum docendi ex una concione, in vitæ innocentiam ex solennibus testimonijs inquirunt, rectè ecclesijs consulant? Resp. neg.

5. An ita examinatis verè testimonium coram tota ecclesia in ordinatione tribui possit, eos esse idoneos ad curam, animarum ipsis committendam? Resp. negamus.

6. An qui communiter ordinarias conciones habet, confidentes usitato more audit absoluitq; , sacramenta administrat, ægros visitat, nec singulariter profectum auditorum in fide & moribus explorans, secundum diversitatem in examine deprehensam omnibus omnia fieri studet, ut, quoscunq; potest, de sibi concreditis Christo lucretur, boni & fidelis pastoris officio fungatur? Resp. negamus.

7. An, invita & repugnante ecclesia, cuiquam veterem stationem deserere, alioq; migrare liceat? Resp. negamus.

8. An, qui solius mercedis sive stipendij causa docet, ejusq; spe præcisa, nullam in se ad ministerij partes gratis obediens propensionem sentit, verè sit mercenarius. R. affirm.


Augustini ex T. II. epist. CXLVIII.


Domino beatissimo & venerabili, in con-
spectu Domini sincera charitate charissimo patri Va-
lerio, Augustinus presbyter in Domino
salutem.


ANte omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in
hac vita, & maxime hoc tempore facilius & latius, & hominibus acceptabi-
lius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atq; adulatorie res aga-
tur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. item nihil esse in hac
vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyte-
ri, aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster
Imperator jubet. Quis autem iste sit modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea
didici: & eo tempore, quo discere caperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meo-
rum, (nam quid aliud existimem nescio:) ut secundus locus gubernaculorum mihi
traderetur, qui remum tenere non noveram. Sed arbitror Dominum meum propterea
me sic emendare voluisse, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus es-
sem, quid illic agatur, quasi doctior & melior, reprehendere audebam: itaq; postquam
missus sum in medium, tunc sentire capi temeritates reprehensionum mearum, quan-
quam & antea periculosissimum judicarem hoc ministerium. Et hinc erant lachrymæ
illæ, quas me fundere in civitate, ordinationis meæ tempore, nonnulli fratres animad-
verberant, & nescientes causas doloris mei, quibus potuerunt sermonibus, qui omnino
ad vulnus meum non pertinerent, tamen bono animo consolati sunt. Sed multò val-
de multò amplius expertus sum, quam putabam: non quia novos aliquos fluctus aut
tempestates vidi, quas antè non noveram, vel non audieram, vel non legeram, vel non
cogitaveram: sed ad eas evitandas aut perferendas solertiam & vires meas omnino
non noveram, & alicujus momenti arbitrabar. Dominus autem irrisit me, & rebus
ipsis ostendere voluit me ipsum mihi. Quod si non damnando, sed miserando fecit, (hos
enim spero) certè vel nunc cognita aegritudine mea, debeo scripturarum ejus medica-
menta omnia perscrutari, & orando ac legendo agere, ut idonea valetudo anima mea
ad tam periculosa negotia tribuatur: quod ante non feci, quia & tempus non habui.
tunc enim ordinatus sum, quum de ipso actionis tempore ad cognoscendas divinas scri-
pturas cogitarem, & sic nos disponere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset
esse. Et quod verum est, nondum sciebam, quid mihi desset ad tale opus, quæ me
nunc torquet & conterit. Quod si propterea in re ipsa didici quid sit hominæ necessa-
rium, qui populo ministrat sacramentum & verbum Dei, ut jam non mihi liceat asse-
qui, quod me non habere cognovi: jubes ergo ut peream, pater Valeri? ubi est chari-
tas tua? Certè diligis me, certè diligis ipsam ecclesiam, cui me sic ministrare voluisti,
& tamen certus sum, quod me & ipsam diligis. Sed putas me idoneum, cum ego me-
liss.

lius me noverim, qui tamen nec ipse me noffem, nisi experiendo didiciffem. Sed dicis
fortaffe fanctitas tua: Vellem fcire quid defit inftuentioni tua. Tam multa autem
funt, ut facilius poffim enumerare qua habeo, quam qua habere defideo. audio enim
dicere, fcire me, & plena fide retinere, quid pertineat ad falutem nofttam: fed hoc
ipfum quomodo miniftrum ad falutem aliorum, non querens quod mihi utile eft, fed
quod multis, ut falvi fiant. Et funt fortaffe aliqua, imò non eft dubitandum effe in
fanctis libris confcripta confilia, quibus cognitio & apprehenfio poffit homo Dei rebus
ecclefiafticis ordinatioribus miniftrare, aut certe inter manus iniquorum vel vivere
confcientia faniore, vel mori, ut illa vita non amittatur, cui uni Chriftiana corda hu-
milia & manfucta fuffpirant, quomodo autem hoc fieri poteft, nifi, quemadmodum ipfe
Dominus dicit, petendo, querendo, pulfando, id eft, orando, legendo, plangendo? Ad
quod negotium mihi paruum tempus vel usq; ad pafcha impetrari volui per fratres à
tua finceriffima & venerabili charitate, & nunc per has preces volo. quid enim respon-
furus fum Domino iudici: non poteram ifta jam querere, cum ecclefiafticis negotijs
impedirer? Si ergo mihi dicat, Serbe nequam, fi villa ecclefie calumniofum aliquem
pateretur, cujus fructibus colligendis magna opera impenditur, neglecto agro quem
rigabi fanguine meo, fi quid agere pro ea poffes apud iudicem terræ, nonne omnibus
confcientibus, nonnullis etiam iubentibus & cogentibus, pergeres, & fi contra te
iudicaretur, etiam trans mare proficifcereris: atq; hoc modo vel annuam vel amplius
absentiam tuam nulla querela revocaret, ne amplius poffideret terram, non animæ, fed
corpori pauperum neceffariam: quorum tamen famem vide arbores mea multò faci-
lius mihiq; gratius, fi diligenter colerentur, explerent? Cur ergo ad difcendam agri-
culturam meam vacationem temporis tibi defuiffe caufaris? Dic mihi quid respon-
deam, rogo te? An fortè vis dicam: Senex Valerius dum me omnibus rebus inftu-
ctum effe credidiffet, quantò amplius me dilexit, tantò minus ifta difcere permiffit?
Attende omnia ifta, senex Valeri, obfecro te per bonitatem & feveritatem Chrifti, per
mifericordiam & iudicium eius, per eum, qui tantam tibi inspiravit erga nos charita-
tem, ut te nec pro lucro animæ noftre audeamus offendere. Sic autem mihi Deum &
Chriftum teftem facis innocentie & charitatis, & fincevi affectus, quem circa nos ha-
bes, quafi ego non de his jurare omnibus poffim. Ipfam ergo charitatem & affectum
imploro, ut mifereris mei, & concedas mihi ad hoc, quod rogabi tempus quantum
rogabi, atq; adjuves me orationibus tuis, ut non fit inane defiderium meum, nec in-
fructuofa ecclefie Chrifti atq; utilitati fratrum & conseruorum meorum absentia
mea. Scio quod illam charitatem pro me orantem, maxime in tali cauffa, non despi-
ciet Dominus, & tam ficut facrificium fuavitatis accipiens, fortaffis brevioris
tempore, quam postulabi, me faluberrimis confilijs de fcripturis
fuis reddet inftuatum.

¶ (0) ¶
¶







doctrina de fide justificante:
generalia sunt duo:

æstiones theóreticas

...m:
...lanè ignotam?
...s, objectum ejus sit verbum scriptum,
...iones?
...onstat, sit monstrum?
...s que?
...nenam?

...fides an vera?
...quodnam sit?

ones practicas tres:

...hristiane gnarus, seipsum exploran-
...t, num habeat fidem justificantem?
...r ex solis internis motibus Spiritus
... & sacramentis?
...?

anniversariam proposita,

IDE
ARNOVIO,

S S. theologiæ,
DENTE
INGGRAVIO

...iensi,
...oris antemeridianis,
... Junij.

DOCHI
PEDANI, Acad. Typog.
...G. XXIII.

